


N. B. Notarü & Procuratores. P. 14. 15



K-I-21




VITÆ HVMANÆ
PROSCENIVM
sub Persona
GVSMANNI ALFARACII
representatum.
CASPARE ENS *editore.*



DANTIS CI,
Sumptibus Georgii Försteri,
S. M. R. Bibliopole,
M. D. C. LII.
Cum Privilegio S. M. R. Poloniae
et Sueciae.





THE HUMAN
 PROGRESS
 AND THE
 FUTURE OF THE
 RACE
 BY
 HENRY THOREAU
 WITH AN INTRODUCTION
 BY
 W. D. HOWLAND

V

S
 G
 m

G

Sumpt

PROSCENII
VITÆ HUMANÆ,

21 *Pars Secunda.*

IN QUA
SUB PERSONA
GUSMANI ALFARACII

miræ fraudes, quibus tam ipse alios
decepit quam ab aliis deceptus est;
tum varii in vita hominum Even-
tus repræsentantur.

Opera & Studio

GASPARIS ENS L.



DANTISCI

Sumptibus GEORGII FORSTERI.

LECTORIS.

Redit ad te *Gusmanus*, sed robustior, cum robustioribus nequitiis non ut imitari, sed cavere discas: simul vanitatem rerum humanarum cognoscas. Quod si gratum hunc meum laborem Lectoribus fore intellexero: Deo vitam & valetudinem suppeditante, Tertiam partem addam, non minus jucundis & notatu dignis eventibus ac historiis insignem. Severa nimis frontis illos *Caton*es non valde moror. qui paullo equiores fuerint, institutum nostrum si non magnopere laudabunt, saltem non reprehendent. Vale Lector & fruire.

IN-

I N D E X C A P I T U M.

PR O O E M I U M in quo scopus *Autoris* de-
claratur. fol. 1

CA P. I. *Gusmannus* Oratori Gallico operam
præstat, queque in eo ministerio sibi acciderint
narrat. 5

CA P. II. Narrat *Gusmanus* quibus in rebus
Oratori hero suo operam præstiterit. Dissertit de
scurris & aliis voluptatum ministris. 36

CA P. III. *Gusmanus* fabula vulgo factus, Ro-
ma relicta, Florentiam se confert. Ab impostore
magna peculii parte spoliatur. 48

CA P. IV. *Gusmanus* amisso peculio Florentiam
proficiscens, *Sajavedram* impostorem obvium ha-
bet, & ministri loco suscipit. 67

CA P. V. Florentiæ descriptio. 72

CA P. VI. Florentia discedit *Gusmanus*. *Alex-*
andro dicam impingens, in vincula conjicitur. 89

CA P. VII. Carcere liberatus *Gusmanus* de in-
justitia, quæ hodie multis in tribunalibus domi-
natur, disertit. 95

CA P. VIII. *Gusmanus* chartarum lusu damnus
resarcit. Bononia Mediolanum se confert. 103

CA P. IX. *Sajavedra* in itinere vite sue historiam
Gusmano narrat. 112

CA P. X. *Sajavedra* Mediolani in popularem
quemdam suum incidit, mercatoris ministrum.
ejus ductu & suggestu *Gusmanus* astutissimum
furtum committit. 129

I N D E X.

- CAP. XI. *Gusmano belle succedit furium. Aquilerae promissa data portione, cum Sajavedra Genuam abit.* 144
- CAP. XII. *Genuam profectus, astutissima militie telam orditur.* 155
- CAP. XIII. *Opimis onustus spoliis Gusmanus cum Sajavedra in Hispaniam navigat.* 169
- CAP. XIV. *In Hispaniam navigans adversa tempestate jactatur: cuius vi alienatis sensibus Sajavedra in mare se precipitat.* 193
- CAP. XV. *Barcinone Gusmannus Salamancam proficiscitur.* 197
- CAP. XVI. *Statuta Societatis seu Confraternitatis Moropoliticae.* 207
- CAP. XVII. *Gusmanus stultae procationis pœnas dat aureis aliquot numis emuctus.* 214
- CAP. XVIII. *Narrat Gusmanus quid Madriti sibi acciderit, à femina turpiter ierum deluso.* 223
- CAP. XIX. *Ædificata sibi domo uxorem ducit.* 229
- CAP. XX. *Narrat porro quæ sibi marito evenerint: deque malis mulieribus pauca differit.* 235
- CAP. XXII. *Quid sibi Compluti acciderit narrat Gusmanus.* 249
- CAP. XXIII. *De Amore pauca differit Gusmanus. Cum uxore Compluto Madritum migrat.* 260

Finis Indicis.

I N

PR
I
I
ut tua i
ludibric
quam
detestari
Lector.
occinam
narratur
ingenii
mantica
pede me
nis, talp



IN SECUNDAM

Partem

PRO O E M I U M :

*In quo scopus Autoris
proponitur.*



NON dubito multos fore, qui-
bus consilium hoc vitam de-
scribendi meam displiceat.
Quid enim attinet, inquiet,
ut tua ipsius vineta cædas; ut teipsum
ludibrio omnibus prostituas, & tam-
quam perfectæ nequitiae exemplum
detestandum proponas? Sed audi, mi
Lector. Quid si Horatianum illud tibi
occinam: *Mutato nomine de te Fabula
narratur.* Scio quæ sit humani natura
ingenii. Pauci certè sunt qui videant id
manticæ quod in tergo est; quiq; suo se
pede metiantur: Lynces sumus in alie-
nis, talpæ in nostris quisque peryiden-
dis

dis vitiis. Interim nemo de se id sentit quod de ipso alii. Quod tu tibi de te persuades, id ego mihi de me. at forte alii non. Suffenus sibi quisque est : & sibi quisque assentatur. unde infiniti in vita hominum nascuntur errores. Si quidem uno dato inconvenienti (sic vulgo loquuntur) plurima sequuntur. Quocirca ne quis sine suo aberret aut frustretur, vera principia ante omnia quærat & examinet necesse est : quibus inventis & constitutis, facilis erit quavis in re progressus. Et quamvis illa sæpe contenta ac frivola videantur, lumen nihilominus ad magnas res prospiciendas præferunt. In omnibus certe rebus mature deliberandum ; at ubi deliberaveris, mature facto opus est. Ignavi est numquam incipere ; stulti, numquam finire. Finis quippe opus coronat. Quorsum hæc, inquis ? Audi. Consilium & scopum in hoc opusculo mihi propositum supra tibi indicavi : qui alius non est, quam ut aliorum exemplo cautiorem fias & prudentior : quod genus discendi commodissimum est & maxime securum, per Mundi hujus periculosum pelagus naviganti. Tuum est meis plagis emendari ; ex mea negligentia & imprudentia tuam formare industriam & solertiam ; ex meis contumeliis hono-

HUMANÆ, LIB. II. 3

ris tibi & laudis quærere materiam. Scis primum sapientiæ gradum esse à seipso sapere; alterum sapienti obtemperare. qui nec hoc nec illud facere sciat, nullo in numero habendum.

Sed, ais, Quanto melius fuerat, mi Gusmane, te numquam ita vixisse; & quanto hoc ipso melius vitam tam malam, tam longe ab omni virtute alienam potius æterna oblivione sepelire, quam litteris consignatam posteris relinquere? Sed erras, mi homo, & quod dicis à ratione alienum est. Sed nec seopum qui te movet, num esse puto. quin etiam tamquam forex teipsum tuo indicio prodere mihi videris. Numquid enim per Gusmani latus tuum peti suspicaris? numquid tibi exprobrari quæ de illo ficta, à te forte facta? Mendacia ergò scribis? inquis. Nequaquam. Facta enim omnia quæ hic narrantur, & fiunt, & fient. Gusmanum modò aliasque circumstantias sepone. vera omnia deprehendes. Et quid si mendacia? numquid hæc multorum auribus gratissima? Sed ut propositi mei ratio melius tibi constet: sic habe.

Quod in uno quasi speculo totius humanæ vitæ imaginem contemplandam tibi propono, non eò fit malum ut imiteris,

4 PROSCEN. VITÆ.

teris, sed ut fugias, bonumque facias. Si
 Gusmanum videas turpiter prolapsus ;
 tu lapidem vita ad quem ille impegit.
 Illud semper memineris , Hominem
 te , nec quidquam humani à te alienum
 esse. Excute omnia animi tui cubilia
 ac penetralia: ubi si quid sordidum (ne-
 que vero aliter fieri potest) deprehen-
 deris, tuam ipsius domum diligenter
 prius purga quam scopas ad alios feras :
 ne illud audias , *Medice cura te ipsum* :
 aut illud Salvatoris nostri : *Hypocrita ,
 trabem educ prius ex tuo , deinde festu-
 cam è proximi eculo*. Sed quid ? num-
 quid ineptus sit qui ad ægrotantem Me-
 dicum adducat ? Quodnam remedium
 in viperæ dente , aut morsu scorpionis
 esse potest ? Quis in veneno quærat
 antidotum ? Ita tamen est, nonne vides
 in Theriacam ipsa venena ingredientur ;
 ut res plurimæ natura sua mortiferæ ad
 salutem præparentur ? sit Gusmani vita
 generalis quædam theriaca humanæ
 vitæ ; sit eius exemplum contra maxi-
 me domestica nobis vitia antidotum.
 Gusmano interim id usu venit, quod
 dapium apud Principes structoribus .
 His unica cura est ut stantes fercula
 scite partiantur: pavones, anseres, galli-
 nas & quævis edulia diligenter scin-
 dant, & convivis apponant : qui omnes
 alacri-

alacri
 rant ;
 cus cin
 volupt
 ster si
 labor
 eis ad
 bus na
 eoque
 ram ex

GUS
 Ga
 qua
 ac

A Ca
 dir
 corum
 bus grav
 ad Galli
 degente
 cilium m
 quod ap
 me vidit
 tiam ver
 tus esset.

alacriter comedunt ac ventrem fatu-
rant; solus ille labore fessus & fameli-
cus circa mensam discursat, alienæ
voluptatis minister. Sic Gusmanus no-
ster suis fastidiis, suis periculis, suis
laboribus enavigata sibi maria, & in
eis ad quos impexit scopulos, & in qui-
bus naufragium fecit vada tibi ostendit:
eoque gratiam potius à te quam censu-
ram exspectat. Sed ad rem.

CAPVT I.

GUSMANUS ORATORI

*Gallico ministerium præstat:
quæque in eo ministerio sibi
acciderint narrat.*

A Cardinali, uti priori libro ostendi,
dimissus, quum aliquamdiu ami-
corum limina trivissem, jamque omni-
bus gravem me esse sentirem; tandem
ad Galliarum Regis Oratorem Romæ
degentem, me applicui: qui tanto fa-
cilis me in familiam suam recepit,
quod apud priorem herum non semel
me vidisset, mea que alacritate (nequi-
tiam verius dixero) multum delecta-
tus esset.

Erat

*Diversa
herorum
ingenia.*

*Cenipe-
varum
ingenia.*

Erat is homo sane perliberalis, meque satis benigne ac laute tractabat: non tamen eo fine aut animo quo prior meus herus. Hic enim meam in omnibus rebus salutem; ille suas voluptates spectabat; quarum ego artifex eram non vulgaris. Nam & multa jocosè ac ridiculè quotidie & dicebam & faciebam: & omnes urbis regiones & ubi unumquodque hominum genus habitaret, nôram: eoque opera mea in perferendis hinc inde mandatis multum utebatur. Mensam præcipue heri & ministerio meo ornare, & factitiis oblectare studebam. Venitabant domum nostram sæpe sæpius parafiti, homines insulsi, arrogantes, prandendi aut cenandi tempus captantes: quibus ego omnibus modis illudere satagebam, hero non invito. Quosdam ut hortulani melones, sic eos federe patiebar; aliis pocula minuta valde, aliis vinum aqua nimis dilutum præbebam: si quem cibum palato ipsorum aridè animadverterem, præripiebam patinam, aliquid aliud minus sapidum reponens. Quid multis? tam ego quàm contubernales mei id unice agebamus, ut convivas ejusmodi, vel mures potius, qui semper alienum panem rodunt, ab heri mensa amoliremur. Accidit aliquando ut quidam

dam
fese in
ferens
sulfus
inepti
ad no
gratu
dendi
cos po
inter c
vanitate
tudisse
effet,
ter alia
tifici e
quibus
posthac
tantur:
herum
tum se
subrepe
rum me
bus mei
quorum
magna
ignem. C
monitu
exsilit A
impetu
sam cur
rum abe

dam Anglus natione in amicitiam heri
 sese insinuarit, adfinitate sibi conjunctū
 ferens, quum tamen nihil ipso esset in-
 falsius, nihil ad civilem conversationem *Para-*
 ineptius, nihil vanius. Ventitabat hic *fici*
 ad nos ferè quotidie. ego parum hero *insulsi.*
 gratum hospitem animadvertens, illu-
 dendi occasionem captabam: quæ pau-
 cos post dies sese obtulit. Quum enim
 inter cenandum multa per summam
 vanitatem mentiens, aures omnium ob-
 tudisset, tum etiam in me multa jocosus
 esset, exiguæ meæ staturæ illudens, in-
 ter alia dicens, Constitutum esse Pon-
 tifici edicere ut milites pyxidum loco
 quibus nitratus pulvis asservari solet,
 posthac pusillæ staturæ virunculis u-
 tantur: tanto magis indignatus, quod
 herum quoque nugis ipsius commo-
 tum senseram, clam sellæ in qua sedebat
 subrepto, & lento nodo pedem jus alte-
 rum mensæ alligo. Jam contubernali-
 bus meis quid fieri vellem edixeram: *quomodo*
 quorum unus in cenaculum irrumpens, *trahen-*
 magna voce exclamat, *di.* *Ad ignem, ad*
ignem. Omnibus (hero excepto, qui
 monitus fuerat) trepide surgentibus,
 exsilit Anglus quoque, vehementi cum
 impetu (ut erat prævalidus) men-
 sam cum omni apparatu evertit, & pa-
 rum abest, quin casu crus sibi fregerit;
 certe

certe faciem totam ita vulneravit, ut sanguinem undique stillaret. Tanto magis facinus hoc erat ridiculum, quod è contubernio nostro deformis admodum æthiops cum æruginosa accurrens bipenni, jacenti, & volutanti se istum quasi intentabat: quem ille diabolum existimans, uti erat jam vino totus madens & quasi extra se positus, Parce, exclamat, parce domine diabole, & propitius esto mihi, Sic irrisus ultrò è domo se proripuit.

Et hoc quidem strategemate musca hæc cenipeta ex heri mei ædibus exacta fuit: cui quidem ipse herus, clam tamen, mirifice applausit. Equidem jam neminem qui malitia mecum certaret, inveniri posse rebar: verumtamen non multo post victum me sensi. Venerat ad herum miles Hispanus, habitu quidem simplici & non valde precioso, sed animo, uti ex ejus moribus ac gestibus apparebat, elato, Aiebat, patriam sibi esse Cordubam, nobilissimam Hispaniæ urbem, genus in primis ibi nobile, multorum stipendiorum militem. ceterum adversa fortuna jam ita conflictari, ut aliena ope nunc plane indigeat. Hic statim herus numos aliquot aureos è pera depromptos, nec inspectos aut numeratos, mendicanti lar-

*Milites
gloriosi.*

largitur. quibus ille acceptis, herum
 sequi & incredilibus nugis detinere
 non cessavit, dum prandii tempus ad-
 set. Hero ergo in cenaculum se reci-
 piente, mensæ & ipse cum reliquis
 convivis assidet. Ego interim ad cibos
 inferendos egressus, duos alios ex ea-
 dem gente video. ceu harpyias herilibus
 dapibus inhiantes: verum ubi popula-
 rem illum suum conspexissent, pedes
 continuo referunt. Quid hoc rei est, in-
 quientes, quod nugator ille tanquam
 musca omnes mentas circumvolitat?
 Accedo, & num nôssent hominē rogo.
 Quid ni, inquiunt: cujus patris Cor-
 dubæ sutoriam exercentis opera in ve-
 teribus nostris calceis refarciendis non
 semel usi sumus. O rem indignam! Ecce
 tibi, si viginti nobilis prosapiæ Equites
 ex Hispania in Italiam proficiscantur,
 sequuntur statim centum, qui quam-
 vis ex infima sæce plebis sint, nihilo-
 minus nobis æquales esse volunt, adeo-
 que à Gothis genus repetunt, ad Nobi-
 litatem iis præsertim locis ubi nemo
 novit sâtis esse mystacem intorquere, &
 pileum plumis opertum gestare: licet
 ipsis leporibus sint timidiore, & hostem
 numquam aspexerint. His dictis, abie-
 runt illi: ego vero tres istos unius &
 ejusdem commatis esse animadverti.
 Duos

*Non hi
 muli
 mutuorum
 scaben-
 tes?*

Duos illos non poteram non tam levitatis quam iniquitatis damnare. Inhumanum facinus mihi videbatur infamare eum, qui honorem, sine cujusquam damno aut præjudicio venabatur: nec dubitabam quin æquè essent atque ille ignobiles. neque enim quisquam generi suo ex alterius obscuritate lucem fenerari potest. Alterius qui ad mensam sedebat summa displicebat mihi impudentia: qui non contentus tam liberali dono, eum qui paucis aliis communicari solet honorem sibiipse ultrò arrogabat. Quare lubido me incessit ludibrio ipsum ductandi. Sed grus vulpem invitaverat: & qui deludere alium volebam, delusum me sensi. Potum poscebat non semel (sic enim fert tam Hispanorum & Italorum, quam Gallorum mos, ut calices seu cyathi, non mensis, sed abacis imponantur, & non nisi poscentibus præbeantur) ego vero avertis oculis nutum ejus negligebam, ut & reliqui ministri à me edocti. Ille ubi ductari se animadvertisset, herum ita alloquutus est: Noli, quæso, Domine, putare, temere à me aut arroganter factum, quod ad mensam tuam accesserim non vocatus. multa certe me excusant. Primo personæ meæ conditio & generis nobilitas. deinde vitæ genus

quod
suos
celeb
gnos
& qu
merc
mun
que
in pri
trò ut
illi tuo
quem
guæ
non i
Hic h
ut hom
defuge
cyathu
diluto:
Hispan
usque p
interim
timis all
versus,
bibam. q
cedit, &
mum po
totum un
verbis,
Oratori
meus risu

quod sequor, Militia sc. quæ alumnos *En com-*
 suos, præsertim non gregarios, sed factis *fiden-*
 celebres, cujus vis Principis mensa di- *tiam*
 gnos facit. Præsens denique status meus, *milita-*
 & quæ jam me premit necessitas veniam *rem.*
 meretur, cui quidem omnia sunt com-
 munia: & ego sane existimem mihi mei-
 que similibus hospitalitatem magnatum
 in primis paratam esse debere, eaque ul-
 trò utendum. Rogo autem ut pocillatori
 illi tuo potum mihi præbere mandes:
 quem frustra non semel petii, ob lin-
 guæ & nationis peregrinitatem forte
 non intellectûs.

Hic herus cum levi objurgatione jussit
 ut homini potum ministrarè. imperium
 defugere non poteram. appono ergo
 cyathum, sed parum admodum, & vino
 diluto: ut loro videretur plenû: sed quia
 Hispanis etiam parum sufficit, ad finem
 usque prandii siccus ferè permansit, cibis
 interim ventrem suburrans. Tandem ul-
 timis allatis ferculis, ad Oratorem con-
 versus, Cum tua, inquit, venia vado ut
 bibam. cum dicto surgens, abacum ac-
 cedit, & arreptum quod ibi erat maxi-
 mum poculum, vino mero implet, ac
 totum uno tractu exhaurit, inde multis
 verbis, sed solitis tantum cæremoniis
 Oratori valedicens, abit. Hic herus
 meus risu panè emoriens, & nequitiam
 N
 meam,

meam, & hominis confidentiam miratus, Tui, inquit, Gusmane, miles hic similis tuaque patria plane dignus est, ubi omnia fere cum ostentatione quadam, confidentia & arrogantia fiunt.

Quum inde non de Hispanorum tantum, sed aliarum quoque nationum moribus sermo ortus esset, ejusque jam convivas tæderet: nobilis quidam qui nuper è Galliis venerat, ad Oratorem conversus, Quia, inquit, cælum pluvium domi nos detinet, si tibi grave non sit, admirabilem historiam quæ paullo ante meum discessum contigit, narrare vobis institui. Quum & Orator & reliqui omnes annuissent, ita exorsus est.

*Historia
vera sub
fidelis per-
sonis
narratio.*

Cleon illustri inter Galliæ proceres loco ortus, tum omnibus tanto genere dignis ornatus virtutibus, bello in primis tam præclara virtutis suæ specimina, ipso Principe oculari teste, ediderat, ut perfecti Equitis nomen quasi peculiare sibi acquisiverit. Huic è Cleonice filius natus fuit, Floridanus nomine, omnibus tali fortuna dignis virtutibus nullo suæ conditionis inferior. Jam ante pater, ætatis beneficio rudem emeritus, conjugem amiserat. Domum quæ ad Ligerim erat, reversus, illam curam præcipuam habuit, ut

filio

filio cum vicini, æqualis sui, filia nuptias conciliaret. Is Lutetiæ tum erat, aulam sectans, magnæ apud omnes estimationis. Forte evenerat, ut quodam die dum in atrio Parlamenti (quod vocant) quo quotidie Nobilis juvenis non tam agendarum caussarum quam spectandarum formarum gratia confluere solet, cum æqualibus sermonem misceret, inter alias virginem quandam velato vultu, ut solet in Galliis, prætereuntem conspicaretur: cujus decorum incessum & habitum miratus, ô pulcram, inquit apud se, creaturam! quod si vultus ceteris respondeat lineamentis, equidem beatum illum dixerim, cui talis Charis obtigerit. Hanc equidem dignam putem cui Juno & Jupiter omnes suas opes tribuant. Defixis eam oculis prosequutus, ubi ad institoris cujusdam tabernam constitisse, & nescio quid mercimonii licitari vidit; accedit, comiter & urbane salutatam, de patria, familia, domicilio, negotio denique quod in Curia haberet, percontatur. Illa detracto velo quo faciem texerat, ut erat & ipsa naturâ & disciplinâ ad omnem elegantiam & leporem mirifice efformata, ad singula ita respondet, ut cujus animum prius rara vultus forma non leviter affecerat, jam modestia ac

decentissimi mores planè ceperint ac subjugârint. Quia vero dixerat, causam se non levem habere quæ in Curia coram iudicibus agitaretur, ejusque sollicitandæ ergo ad urbem venisse. Floridanus (id ei nomen erat) non suam tantum sed & amicorum operam liberaliter promittit: quam etiam fideliter præstitit, & favorabilem, ut loquuntur, sententiam impetravit. Quum voti compotem puellam jam ad discessum sese accingere animadverteret Floridanus, accedit, ardentissimum suum amorem exponit, denique nisi morbo huic ipsa medicinam afferret, vivere diutius se velle aut posse negat. Lydia (id enim nomen puellæ esse volumus) ut erat non honesta tantum & pudica, sed prudens etiam, ipsi quidem præ omnibus aliis hominibus non modo ob beneficium præstitum, verum multo magis singularem quem ostenderet, quemque ipsa non mereretur amorem, obnoxiam se fâetur: tanti tamen honorem ac pudicitiam suam facere, ut vitæ quam ejus jacturam facere malit: eoque rogare etiam, ut rationem ducem sequutus amorem ab ea abstraheret, quam, utpote nec genere, nec opibus parem, tali modo amare ipsi non liceret. Tu, inquit, è magnatum ortus es profapia, &

ma-

ma-
den-
de r
sim
te r
qu
me
præ
pern
facia
te an
plus
re n
plus
se, ni
lim p
orati
hanc
anim
quo
parat
tuo p
Quæ s
sum. A
Equid
non vi
affenti
trahan
conqu
Florida
spondi

magnas opes possides, mihi nobile quidem, sed simplex genus, nec divitiarum valde magnarum. Equidem plusquam ingrata sum, si præ cæteris omnibus hominibus te non in corde atque oculis feram, tibi que gratificari cupiam: numquam tamen pudor meus (cujus omnes virgines præcipuam rationem habere debent) permittat, ut tam meo quam tuo satisfaciam desiderio. Patere ergo, quæso, ut te amem tanquam benefactorem. amplius aliquid à me petere aut expectare noli. Facile enim ipse intelligis, amplius aliquid gratificari tibi me non posse, nisi honorem meum meque ipsam velim perdere. Hac tam prudenti ac casta oratione magis accensus Floridanus, in hanc sententiam respondit: Absit, mea animula, ut tibi id velim eripere, pro quo mille periculis caput hoc objicere paratus sum. Amo te, fateor, & amore tuo potiri cupio, sed non nisi legitimo. Quæ si mihi promittis, ecce me tibi sponsum. Ad hæc Lydia pænè obstupescens; Equidem, ait, hoc quomodo fieri possit non video. neque enim pater tuus umquam assentietur. quod si clàm matrimoniū contrahamus, justam tam de me quam de te conquerendi causam præbebimus. At Floridanus, ut securo esset animo, respondit. Sibi curam hanc relinqueret, cui

jam satis idonea provisa sint remedia. Præfectum habebat Floridanus Gardam nomine, quem amor hic non latebat: sed tantum abest, ut ei se opposuerit, ut etiam faverit. in quo utilitatis respectu vinci se passus est. Videbat enim herilem filium jam in juvenili ætate constitutum, quæ disciplinam fere aspernatur. tum amoris vehementiam non ignorabat, cujus ignis facile quidem concipitur, sed difficillime extinguitur. Quid ergo faceret? Repugnaretne? At veritus, ne malam apud juvenem iniret gratiam, & insuper tam diuturni quo apud eum functus fuerat ministerii fructum simul ac semel perderet; connivendum sibi duxit. Male profecto. Si namque patri juvenis rem omnem indicasset, procul dubio ea fuissent adhibita remedia quibus iis quæ postea evenerunt, calamitatibus obviam iri, aut aditus præcludi potuisset.

Non multo post domum revertitur Lydia: quam Floridanus ad domicilium usque comitatur: inde nemini notus, Lutetiam revertitur, Gardæo vero negotium dat puellæ in arcem suam quam in Arvernens à patre donatam habebat deducendæ. Illa convasatis domibus sibi charissimis, insciis parentibus omnibusque aliis, ad condictum locum adest,

adeſt, & à Gardæo duobuſque miniſtris ad deſtinatum locum deportatur. Hoc nuntio accepto, Floridanus, qui interea Lutetiæ multas pretioſas veſtes, & quidquid ad muliebrem ornatum pertinet coëmerat, propere & ipſe in Arvernos proficiſcitur, & vocato Sacerdote, Lydiam ſibi deſponſat: quæ interim à parentibus & cognatis, quid eâ factum eſſet ignorantibus, anxie admodum quærebatur. Quid ego primos illos amores memorem! quorum fructus utrique tam dulces erant, ut vix horam alter ſine altero vivere poſſet: nec quidquam utrumque tam cruciabat quam quod Floridanus nonnumquam ad patrem excurrere cogereſtur: quod tamen rarò admodum faciebat. Vix annus abierat, quum ecce è Lydia pulcrum Pamphilo noſtro natum filium, quem Gentianum appellabimus. Dum illi amoribus remiſſis habenis, indulgent, ecce Fortunam tantæ felicitati invidentem. Mel haſtenus utrique pro cibo fuit, nunc nil niſi fel erit.

Magnum tum bellum rex contra vicinum Principem parabat; ad eamque expeditionem pleraque Nobilitas certatim confluebat. Quocirca Floridanus quoque maxime probroſum ſibi fore ratus, ſi Rege bellum foris gerente, domi

ipse desideret; & myrtum seu amorem lauro præferret. Id ejus consilium quum intellexisset Lydia, dici non potest quanto mœrore correpta fuerit, quantam lachrymarum vim effuderit, quæ suspiria, quot gemitus ediderit, ut cui tam dulcis amoris distractio ipsa morte acerbior futura videretur. sed quum frustra repugnaturam se iis quas Floridanus afferebat rationibus animadverteret, acquiescit & ipsa. Mox ergo Floridanus ad expeditionem sese accingit, Lydiæ vero omnibus de rebus quibus opus esset, largissime prospicit, ejusque curam Gardæ quam diligentissime commendat, promittit liberaliter, Garda vicissim fideliter mandata obiturum sacramento sese obstringit. Profecto Floridano, Garda ad Cleonem iter suscipit; quæ opiniones, quæ suspiciones aut sermones de heri essent amoribus, expiscaturus. Rem quidem ipsam uti erat ignorabat Cleon, rumusculis tamen nonnullorum intellexerat, filium suum in Arvernibus nescio quam amicam habere. quominus vero ea quæ oportebat adhiberet remedia, quum loci natura, tum filiæ omnes aditus custodia firmantis diligentia prohibebatur. Sed nec filiū, qui unicus ipsi erat, irritare volebat. Ubi ad Cleonem venit Garda, ille sic inquit: *Numquam ego putavi, Garda,*

te com-

te com-
 & ad
 filio
 dente
 ris it
 sum
 esses
 ris ej
 cillari
 discipl
 parum
 lenome
 tue in
 Hi
 pungi
 spondi
 facis be
 illa si q
 vitam
 neglig
 ut in for
 ipsa test
 lant qua
 sunt. Q
 certe ad
 quidem q
 quoque a
 equidem
 rem non
 velut test
 filiam per

te commissam tibi præfecturam ita uti fecisti & adhuc facis, administraturum. E multis te filio meo moderatorem elegi; quem non prudentem modo, sed & honestatis atque virtutis ita amantem arbitrabar, ut ne transversum quidem unquam ab eis abripi te passurus esses. Sed intelligo te, qui reniti debebas, stultis ejus cupiditatibus subscribere atque ancillari. hiccine fructus est quem de tua mihi disciplina atque educatione filii promisi? quæ parum abest, quin ex magistro seu Præfecto lenonem te feceris. quam quidem notam frontis tuæ injustam nulla unquam oblitterabit dies.

His verbis ad vivum usque animum pungit sibi sentiens Garda, sic contra respondit: Magnam profecto injuriam mihi facis here, qui de me ita ut dicis sentias. Verba illa si quis alius meæ conditionis protulisset, vitam centies perdere malim quam ultionem negligere. Filium tuum ad omnem virtutem ut informarem nihil prius habui. Et sane res ipsa testatur: ut in quo omnes eæ dotes excellent quæ genere ipsius & conditione dignæ sunt. Quod si amore abreptus est, caussa mihi certe adscribi nullo modo potest aut debet. Te quidem quum ea esses ætate non ambigo ipsam quoque affectus hujus vim expertum esse. Id equidem pro vero tibi affirmo, Floridani amorem non prius mihi cognitum, quam ille me velut testem accivit, meque præsentem honestam filiam per Sacerdotis manum sibi desponsavit;

quam etiamnum amat quam ardentissime, pulcherrimi ex ea sibi nati pueri matrem. An lenoniam tu appellas id quod legitimo, ab Ecclesia præscripto modo, summo utriusque consensu factum est? an meum erat separare quod DEUS conjunxerat? Multa alia excusare volentis orationem, ad matrimonii nomen obstupescens, interrupit Cleon, Ergo, inquit, filius meus nescio me matrimonium contraxit? & quidem cum dissoluta & vilis conditionis filia? O cælum, ô terra! Audion' hæc ego, & vivo! Huccine spes mea de filio in amplissimas opes & familiam nostro genere dignam elocando redierunt! Ah, Garda, Garda, tantam rem me celare non oportebat. Tum Garda, facere id sine vitæ periculo non potuisse, dicens, subjecit, si gratū Cleon id habiturus & dignè remuneraturus esset, velle se mulierem illam amoliri & eò ablegare ut nomen ejus numquam posthac ad ullius notitiam esset perventurum. Hic Cleon aureos montes pollicitus, Gardam maximopere obtestatus est ut effectum hoc sibi daret: de misera quid fieret susque deque habens. Hoc cum proposito perfidus ille discedens, postquam ad consuetum pervenit domicilium, pullo amictu indutus Lydiam accessit, & non sine lachrymis, Hei, hei, inquit, ô hera, quam jacturam uterque
feci-

fecimus, tu marito, ego hero incomparabili
 spolitans! O casum lamentabilem! Floridani
 in prælio interemti mors utriusque nostrum
 spem omnem secum abripuit. Hoc nuncio
 consternata Lydia, totisq; sensibus aliena
 nata, ubi paullum ad se rediit, ea verba
 protulit quibus etiam ipsas, ut ita di-
 cam, rupes ad commiserationem com-
 movere potuisset. *Ab, ab, inquit, me mi-
 seram ac ter miseram! siccine à fortuna ad
 tam altum dignitatis gradum elevata sum, ut
 tam cito inde in desperationem atque ipsum
 exitium deturbarer! Quid enim uspiam mi-
 bi salvi restat, amisso unico salutis meæ sul-
 cimento? Ad cognatosne redeam? quos tam
 indigne reliqui? Erit qui præ indignatione
 aspicere me non sustinebit: alii mihi meæque
 fortunæ illudent. Ibon ad Floridani pa-
 trem? Is vero non aliter me quam pro im-
 pudica habebit; nec ut filii uxorem tracta-
 bit, sed ut scortum persequetur.*

Inter hæc lamenta rursus animi pas-
 sam deliquium Garda cubiculo inferri
 lectoque imponi curavit, ubi illa plora-
 tu & lamentis omnia implevit. Atque
 muliebres hi erant ejulatus: quem se-
 xum nescio quis uno oculo flere, altero
 ridere ait. nec absurde ille, qui mulie-
 rum tam dolorem quam amorem ani-
 malculis illis comparat, quæ Ephemera
 vocantur, quod unum tantum diem vi-
 vant,

vant, Lydianam post multas lacrymas ne-
 quicquam effusas, & mortem, omnium
 miserorum asylum, sæpe frustra in voca-
 tam, Garda accedit, & variis ultro ci-
 troque habitis sermonibus, nefarius
 proditor sic eam alloquitur: Scis, hera,
 quæ à morte abripiuntur omnia ad nos num-
 quam reverti. Quocirca nequaquam mihi
 jam tempus videtur, ut communem cala-
 mitatem commiserando, suspiriis & luctu
 medullas ipsosque spiritus consumamus, sed
 potius ut rebus nostris quam poterimus o-
 ptime consulamus. Floridanus in vivis am-
 plius non est, qui antehac necessitatibus no-
 stris prospicere solebat. Ego hero optimo, tu
 marito, & insuper omni solatio subsidio-
 que destituti. Falleris si Floridani nuptias
 honori tibi fore putaveris, quarum veritati
 nemo fidem habebit: immò hæc ipse præsen-
 tissimum tibi apud Floridani patrem & to-
 tam cognationem periculum creabunt. Quid
 ergo aliud reliquum erit quam ut à tuis &
 à mariti cognatis indignissime tracteris?
 Quod si me audire velis, consilium tibi dabo
 quo reliquum vitæ si non tam splendide, at
 saltem tranquille possis exigere. Virtutes
 ego tuas tanti facio, ut si me sponsum non
 dedigneris, non maritum me modo, sed &
 ministrum habiturus sis, pristini quem tibi ut
 heræ meæ libentissime semper præstiti hono-
 ris memorem. Nec tam absurda hæc mea tibi

peti-

petitio videbitur, si presentem ad quem
 jam redacta es statum cum mea conditione
 compararis. Nobili sum ortus prosapia
 redditusque mihi sunt annui bina florenorum
 millia. Hinc si nobis descendendum sit, in
 Pictonibus, quæ mea patria est, quod utri-
 que reliquum est vitæ tam jucunde exigemus
 quam misere nunc vivimus. Ad hanc per-
 fidi hominis orationem non invenie-
 bat quod responderet Lydia. Hinc menti
 obversabatur tam recens, ut illa puta-
 bat amantissimi simul & splendidissimi
 mariti jactura: cujus si tam cito
 oblita, alteri amorem transcriberet,
 summæ levitatis notam effugere se non
 posse videbat. Filii inprimis, quem
 marito genuerat, & ad quem patri
 superstitem, divino & humano jure
 octogenum florenorum millium an-
 nuorum hæreditas pertinebat, respectus
 ab ejusmodi nuptiis avocabat. E contra
 miserrima in quam delapsam se sentie-
 bat fortuna, illud maxime quod vix ul-
 las, aut certe contra tam potentes adver-
 sarios debiles admodum rationes legiti-
 mi probandi matrimonii haberet, in-
 felicissimam feminam ad desperationem
 redigebat. Quum ergo spei aliquantu-
 lum in homine fido, uti putabat, &
 sui amante reliquum animadverteret,
 ei sese applicuit, & nuptiis consensit:

quæ mox accito proximi pagi parcho,
 & uno è domesticis, cui Garda multum
 fidebat, celebratæ sunt. Quid sit? Inscen-
 dit heri sui thorum minister, & frustra
 hætenus sæpe optato tam eximiæ for-
 mæ amore potitur. Post dies aliquot,
 restincta jam aliquo modo libidine, per-
 fidus homo Lydiæ narrat, intellexisse
 se, immò certo scire, Floridani patrem
 in eo totum esse, ut filii sui concubi-
 nam, uti ipse appellaret, captivam sistat,
 quam præter domesticum probrum,
 etiam nescio quæ cimelia aliasque res
 preciosas surripuisse criminatur. Qua-
 propter ad evitandum tam præsens peri-
 culum nihil consultius, immò necessa-
 rium sibi videre, ut è loco qui post mor-
 tem filii in patris rediisset potestatem,
 aliò demigrarent. Esse sibi, uti antea
 ostenderat, in Pictonibus domicilium.
 cò sequeretur. Quid faceret mulier,
 omni auxilio destituta? Annuït: & à
 marito, vel potius herilis lecti in seffore
 ad fratris domum deducitur. Exactis ibi
 diebus aliquot, Garda Lydiæ dicit, vel-
 le se ad Floridani patrem proficisci, à
 quo non parum adhuc filii nomine sibi
 deberetur: sperare etiam non sine in-
 signi dono, ob tam diuturnam præsti-
 tam operam, se dimissum iri. simul
 Lydiam audientem fratri ejusque uxori
 com-

commendat, unice obsecrans, ut quam optime tractetur. At jam ante nequissimus homo fratri rem omnem, & quid fieri vellet, ostenderat. Discedit Garda; abeuntem lacrymis prosequitur Lydia. Ille ubi ad Cleonem venit, rei præclare, scilicet, à se gestæ, seriem exponit: quem complexus Cleon, magnaque lætitia perfusus, liberalissime remuneratum à se postea dimisit. Paulo post Gardæ discessum frater quasi totus attonitus prima nocte in cubiculum Lydiæ irrumpit. Ait certis indicis sibi compertum, lictores regios in proximo esse pago, à Floridani patre ut eam comprehenderent summissos. Quid tristius, inquit, mea soror, accidere mihi possit, quam si te in tanta pericula tam turpiter captivam abduci videam! Contra vim, & quidem legitimi magistratus, tueri te non possum. Necesse ergo est ut tibi ipsa prospicias. Quibus verbis tantum non exanimata Lydia, è lecto propere exsurgit, ad finis & hospitis fidem obtestatur, ut consilio & opè sua miseræ succurreret; quid optimum factu exquirat. Ille astutum abeundum clamat: nisi hoc faceret, se illamque perditam. Multa caussantem, ignaram viæ locorumque, seminudam multa jam nocte extrudit homo immisericors, consilio prius

prius dato ut in proximam sylvam se reciperet : atque inde quò tutissimum putaret, iter medicaretur. Sic illa reliquum quod erat noctis extra omnem viam ac semitam, cæco pergebat itinere, jam crinibus auro certantibus, inter dumos & rubos adhærescens, jam niveos pedes ad saxa & quidquid obivium erat impingens, ut facie, suris, manibus scædum in modum laceratis, vix quidquam pristinae formæ præ se ferret, & mortem vero voto centies sibi exoptaret. Hoc modo Lydia non noctem illam modo, sed & sequentem diem per avia progrediens, ingruente jam nocte, è canum latratu non procul à villa quadam rustica abesse se sensit : ad eamque accedens, feminam videt oves ovili includentem. Adit, petit haustum aquæ. Rustica non sine admiratione tam bellam formam è vultu quamvis lacero elucen-tem contemplata, Lydiam secum in casam ducit, & eo cibo potuque qui in promptu erat, reficit. Pernoctat ibi Lydia, inter curas pænè ineffabiles, suspira, lachrymas. Mane quum ne numulum quidem haberet, è veste nescio quid argentei ornamenti abscindit, pro cena liberale pignus. Inde vestitum quoque reliquum, qui à vulgari differebat, cum vili commutat cen-

cen-
sim o
dam
paullo
mis v
anxia
vel t
rens
quem
scat ?
femina
Sed v
respe
tam v
Ite n
tis : &
siderat
Sic
huc ja
tergo
rios e
nit, &
immitt
ctat. R
à deam
Lydiam
ctatur
dit illa
Religio
marito
ad eum

centunculo : eoque habitu stipem passim ostiatim emendicabat. O stupendam fortunæ inconstantiam ! En quæ paullo ante principi viro nupta , in summis vivebat deliciis, jam nuda, famelica, anxia, etiam rusticorum fores pulsat, vel tenuissimum miserrimæ vitæ quærens subsidiolum ! Quis tam ferreus est, quem tam indigni causus non miserescat ? Credibile est, tam teneram feminam tanta mala perferre potuisse ? Sed vicit Dei metus & æternæ salutis respectus : sine quo tam acerbam vitam vel millies ultrò projectura fuisset. Ite nunc qui præsentibus rebus fidentis : & quid brevi vobis fieri possit considerate.

Sic iterum in viam se dans, & jam huc jam illuc, quasi insequentibus à tergo licitoribus deflectens, post varios errores ad Lavallum arcem venit, & reliquæ mendicantium turbæ immista ante portam stipem expectat. Forte fortuna ipsa arcis domina à deambulatiuncula rediens, quum Lydiam vidisset, alloquitur, percunctatur, quæ & cujus esset. Respondit illa, Picardiam sibi esse patriam. Religionis ergo peregrinationem cum marito suscepisse : quo in via amisso, ad eum in quo jam misera versaretur, statum

statum redacta esset. Domina feminam hanc multo diligentius contemplata, & nescio quid occulti decoris & moris in ea deprehendens, rogat, num mediastinæ operam præstare vellet. Accipit conditionem Lydia, & in arcem recepta, vilissimis obeundis ministeriis fidem ac diligentiam suam, honestis moribus decoratam ita omnibus probat, ut à nemine non meliori fortunâ digna judicaretur. Erat inter Heroinæ ministros senex quidam, viduus, cui quod pro fortuna satis amplum haberet, peculium, argenti servandi cura erat credita. Et si vero Lydia formam suam non ornare, sed datâ operâ negligere atque adeo deturpare solebat: vitare tamen non poterat, quin radios quosdam pristinæ venustatis è vultu spargeret; quibus percussus senex ille, miro in eam amore exarsit, nec prius destitit quam hera Comitissa permittente, Lydiam uxorem duxit. Ecce tibi unam feminam, jam tribus adhuc inter vivos agentibus (de Floridano secus existimabat Lydia) nuptam. O inconstantem & in horas mutabilem sexum! Possunt secundæ illæ cum Garda nuptiæ excusari quodammodo, ut pote ex falsa persuasione de Floridani morte, adeoque ab ipsa quasi necessitate contractæ: at tertiæ nullo

nullo
Lydia
periori
tis tæd
tum in
dani p
tinuo
cidit,
tumque
spiravit
fit, ma
seret. h
tum qu
depon
sima su
cui rem
genus s
rem, n
perius
nit, i
commi
suum co
mortem
tulit; a
rem con
perthes f
Dum
summâ
Laurus
bitur.
Garda cu

nullo modo possunt. Paucos post dies Lydia ex animi mœrore (ut cui tam superioris vitæ recordatio, quam præsentis tædium ipsum pectus effodiebant; tum inprimis pericula quæ ipsi à Floridani patre imminerent, ob oculos continuo obversabantur) in morbum incidit, eoque cibum fere omnem potumque respuens, tandem confecta expiravit. Ubi vero morti vicinam se sensit, maritum rogavit ut Heram accerferet. habere se magnum aliquod secretum quod in sinum ejus lubenter vellet deponere. Promte obsequitur nobilissima simul & humanissima Heroïna: cui remotis omnibus arbitris, Lydia genus suum, parentes, Floridani amorem, matrimonium, omnemque superius descriptæ historiæ seriem exponit, magnam vim lachrymarum ex commiseratione & humanorum casuum consideratione effundenti. Lydiæ mortem Comitissa moleste admodum tulit; at senex ille tantum inde mœrorem concepit, ut paucis diebus ipsi superstes fuerit.

Dum hæc fiunt, Floridanus è bello summâ cum gloriâ revertitur. atqui Laurus hæc mox in Cypressum mutabitur. Arcem ingredienti quum solus Garda cum paucis domesticis occurre-

ret,

ret, stupefactus, rogat de uxore & filio. Garda composito ad tristitiam vultu, Filium ait bene valere (is alibi educabatur) sed uxorem ultimum Naturæ tributum persolvisse. Tam inopinato ictu attonitus Floridanus, parum absuit quin ipso in vestigio animam efflârit: certè aliquamdiu velut statua immobilis constitit: mox pàillum recepto animo, oculis in lachrymas solutis, acerbissimum suum dolorem miserabilibus verbis & gemitibus testatus est. Verum considerans ut mortis imperium inevitabile, ita quærelas omnes frustraneas esse, defunctæ exsequias rite celebrari iussit, totique domui luctum indixit; quem Garda præ cæteris nequiter ostentabat. Sed veritus ne perfidia sua deprehenderetur, simulans se aulicæ vitæ pertæsum, missionem petiit & impetravit, præter salarium, luculento accepto dono. Gardâ ad Pictonas profecto, è Floridani ministris unus, cui totam rem Gardæ pedisequus aperuerat, herum seorsim nactus, absurdum esse ait vivos tamquam mortuos lugeri: simul quæ ab illo didicerat, in primis quæ inter Floridani patrem & Gardam acta essent, exponit. Nihil magis mirabile Floridano visum, adeo ut initio fidem habere vix posset. Perpensis omnibus,

cum

cum quinque aut sex ministris bene ar-
 matis in viam Pictonas versus se dat,
 miseram illam, qua tamen nihil in
 Mundo charius habebat, velut alter Or-
 pheus etiam apud inferos investigatu-
 rus. Post dierum aliquot iter, eò ubi
 Gardæ frater habitabat, venit. percon-
 tatur, ubi frater, & quid ea muliere
 quam frater ante menses aliquot eò de-
 duxisset, factum esset. Respondet ille,
 nescire se quonam locorum frater esset
 profectus. mulierem quandam ad se à
 fratre adductam; verum illam, se
 maxime invito, post fratris discessum,
 & ipsam discessisse, nec postea quid-
 quam de ea rescivisse. Tum Floridanus,
 O pessime proditor! Mori pessimo me
 letho malim quam ut à te ac fratre sup-
 plicium non sumam. Inde vicina omnia
 loca obequitans atque adeo angulos fe-
 re omnes excutiens, tandem ad eam ca-
 sam delatus est in qua Lydia profuga
 pernoctarat. ex anu rustica non dubiis
 signis miserrimam charissimæ suæ ux-
 oris fortunam cognoscit. unde tanto
 magis incensus, inquirendi nullum fi-
 nem sibi facere statuit, donec eam vel
 invenisset, vel quid ea factum esset
 comperisset. Sic ad Lavallum arcem
 (cujus dominum cognatione seu affini-
 tate attingebat) delatus, quantum po-
 terat,

terat, se genusque suum, ut antea ubique celans, dum commune jam ingressurus esset diverforium, Comitem obvium habet, qui è primaria Nobilitate aliquem esse facile conjiciens, quasi invitum secum in arcem deduxit. post cenam, dum varii ultro citroque habentur sermones, Comitissa tandem quid nuper in sua arce acciderit, sicque totam Lydiae historiam non sine lachrymis narrat. Floridanus audiens hæc, hancque illam ipsam quam quæreret Lydiam suam esse nihil dubitans, tanto mœrore fuit correptus, ut sensu ferè omni fuerit defectus. Accurrunt omnes, nescii quid homini accidisset: refocillatum erigunt. Ad se paullum reversus, ex imis præcordiis ducto gemitu, voce tristi & submissa sic murmuat potius quam loquitur: *Ab crudelis mors, quæ mihi eripuisti id quod in terris habui charissimum, & quod tanto cum labore & dolore quesivi! ades, inquam, ô mors, quidquid reliquum habes crudelitatis in me exerce.* Ex quibus verbis Comes Lavallius ejusque conjux demum intellexerunt, Floridanum ipsum esse hunc suum hospitem: eoque nihil quod ad eum consolandum ullo modo pertineret, omiserunt. Sed profundius hoc erat vulnus, quam ut tam facile coiret. Et facile cogitari potest quam

quam diversis affectibus animus ejus fuerit distractus : dum sceleratam Gardæ perfidiam & proditionem , dum Lydiæ tam facile aliis consentientis nuptiis credulitatem atq; etiam levitatem , dum patris inhumanitatem , dum miserimam charissimæ uxoris fortunam in qua paullo ante discefferat , animo revolvit. Quare à loco ipso tamquam pestilenti abhorrens, actutum equum inscendit , nec ullis Comitum & Comitissæ precibus exorari potuit ut vel noctem illam ibi maneret. Tota nocte factis inter suspiria , gemitus & lachrymas itinere , albescente cælo in diversorio paullum quiescit : inde Lutetiam , & vetus quod habeat hospitium ingressus , totum se dat luctui , omnes eos averfans qui mœrentem consolari vellent ; identidem exclamans : *O crudelis pater !*

An putasti bene te mihi facturum , si mihi id quod me ipso mihi erat charius eriperes ? Voluisti scilicet familiam nuptiis meis ut putas , digniorem quærere : sed illud non considerasti quantas vires habeat Amor , qui quidem animum meum ita occupavit , ut vita mihi citius eripi possit. Quid jam hæc sollicitudo tibi proderit ? Id scilicet ut posthac numquam videas eum pro quo tot tantasque per omnem vitam curas exanulasti. Tu vero (inquit, ad Gardam conversa oratione,) nequissime

& perfidissime, qui thalamum meum in-
 scendere, & charissimam mihi conjugem
 quam observare, colere, revereri debebas
 extremis calamitatibus, & miseriis prosti-
 tuisti, quid tibi nunc animi est? hoc quidem
 uno nomine mors mihi acerba est, quod an-
 te vitæ meæ finem non licet in te statuere
 ejusmodi justæ ultionis exemplum quod ad
 posteros quoque sit memorabile. Sed est Deus
 qui meas partes aget, qui meritas tibi pœ-
 nas infliget. Mox Lydiæ nomen incla-
 mans, O te, inquit, miserabilem! &
 nimis credulam! An tu amorem tuum aliis
 tam cito transcribere potuisti? sed ô quon-
 dam charissimum mihi caput! te quidem
 ego excusatam habeo. Tantiæ erant illæ
 quibus oppressa fuisti miseriæ, ut vel con-
 stantissimum virum ad desperationem redi-
 gere potuissent, nedum eam feminam cui in
 toto Mundo ne umbra quidem spei aut so-
 latii restabat.

Dum ita mœrori suo indulget Flori-
 danus, nec ullam admittit consolatio-
 nem, brevi tempore tantam corporis
 maciem atque imbecillitatem contraxit,
 ut vix ulla longioris vitæ spes superes-
 set. Medici quidem corpori reficien-
 do adhibent remedia; sed interno animi
 dolore omnem medicinam respuente,
 tristis anima è corpore evolavit. Patre
 Floridani, ad quem mors filii citius
 quam

quam morbus perlatum erat, tantum & ipse mœrorem concepit, ut minime diu filio fuerit superstes. Garda Floridani morte lætus (supplicium namque si ille supervixisset, evadere non poterat) totam historiam scripto consignatam paullo ante vitæ finem filio ad Floridani filium (optimis artibus eruditum, & Tarbensem postea Episcopum) jam morti vicinus perferendam dedit: qui morte in proximo diversorio interceptus, hospitem subdelegavit. Quæ res postea ad probandam Nalium ingenuitatem Floridani filio unice profuit.

Super hac non ficta sed vera historia variis ortis judiciis, convivæ tandem discesserunt: ego vero singula ita notabam, ut ex hoc uno rerum humanarum varios casus & vicissitudines animo quasi insculptas haberem.

Narrat Gusmanus quibus in rebus Oratori hero suo operam præstitit. Dissert de scurris & aliis voluptatum ministris.

Sic est. Potentiæ & divitiarum tumor, Virtutisque in plerisque hominibus defectus faciunt ut bene & utiliter præstitis operis gratia non referatur; blandis & dulcibus verbis, quamvis falsis ac sæpe perniciosis referatur. Quid causæ? Prius illud deberi sibi beatuli nostri existimant; in altero gratiam sibi fieri sciunt. quia enim ea sibi tribui audiunt, quorum minime sibi sunt consciï (virtutes puta, & quidquid aliud est laudabile) facile ea in acceptum referunt, adeoque præsentî pecunia remunerantur. Hic mihi in mentem venit optimi Imperatoris M. Aurelii (vel potius, ut ego judico Antonii Guevaræ) querela, *Edo*, iniquentis, *Mundi dementia & corruptela progressa est, ut quemadmodum viri graves cordatique dedecori sibi vanorum hominum conversationem ducunt; sic Principes ac Magnates magnificum sibi putent, si in aulis suis Sannionem nugatorem habeant. At sanè si hic subsisteretur, serendum*

dum ut cumque esset. Sed quid dicemus, quod nonnunquam tam vani domini, & tam ingeniosi Sanniones sunt, ut magis solliciti domini sint quomodo illis satisfaciant, quam illi quomodo dominis serviant. Fit etiam hoc quod minime omnium oportebat, nimirum ut ex illo hominum genere aliquis novitius majorem in aula licentiam habeat quam aulicorum ullus aut minister pervetus. Non credis hoc? Perlustra omnes fere aulas: & verissimum deprehendes. ubi nihil usitatus quam artes parasiticæ. quarum si ignarus sis, apage. tibi hic nec feritur, nec metitur. Placentinis locus est, non Veronensibus. Fit hoc humani vitio ingenii, ut sicut nobis ipsi adulamur, sic adultores libenter audiamus. Adultores verò appello hic non eos qui pravis consiliis Principes ad scelera & vitia impellunt; sed qui vel linguâ, vel aliâ operâ dominorum voluptatibus ancillantur. Equidem tam agrestis non sum, ut hoc genus omnes procul à Magnatibus habendos putem. quin etiam aliquando necessarium est & utile hoc hominum genus: adeo ut facetus aliquis Sannio pluris sit quam gravis ac tetricus Consiliarius. Per jocum ille nonnunquam dicit quæ alter cogitare vix auderet. Et altius fere in animum descendunt quæ joculariter quam quæ

Morianes ad quid utiles.

feriò dicuntur. Nec vero existimare debes, difficilius esse hujus quam illius munus. Mihi crede, minor est, omnis corporis labor eo qui in inveniendis verbis aliisque modis Principes ac Magnates oblectandi collocatur. sed & utcumque quis artificio hic contendat, frustra erit nisi ab ipsâ naturâ & genio adjuvetur. Non verborum tantum cura habenda est; sed & attemperanda vox, vultus, omnes denique mores & gestus. Adeò verum hîc illud est: *Duo quum dicunt idem, non est idem.* Dicit unus aliquid: risu crepabunt omnes. dicit alius: frigebunt, immò nauseabunt. *Tu nihil invita dices faciesve Minerva.* Sed maxime omnium sunt insipidi & infaceti diu ante excogitati sales. Qui aures animosq; audientium lepido aliquo dicto aut facto oblectare volet, tamquam gladiator in arena consilium capiat necesse est. Qua de re famosi hominis audi verbum. Toleti duo erant histriones seu Mimi, mira agendi dexteritate pænè pares. Uni Manzano, alteri Cisnero nomen. Hic illi, Vides, inquit, Manzane, cujusmodi artifices habeamur. Quid si Rex fama nostra excitatus, ad se nos vocet? id si fiat, & uterque nostrum ad Regem fuerit introductus, isque interrogârit, Tune Manzanus es, an Cisnerus? tuque

*Qui sales
grati.*

tuque Te esse responderis (ego enim ne verbum quidem dixerō) idem procul dubio subiciet: Ergo lepidum aliquid quod dictum depromite. Quid tum, quæso, nobis dicendum aut faciendum putas? Egon' inquit Mazanus. nihil quidem aliud ille ex me audiet, quam ova nondum cocta seu frixa esse. illud scilicet innuere voluit, omni carere lepore ac gratia quæ intempestive dicuntur aut fiunt. Tanto vero major mihi adhibenda cura ac sollicitudo erat, quod etsi ingenio eram prompto & versatili, litteris tamen & eruditione vix leviter tinctus, nec ullo fere rerum usu imbutus essem. Latinam quidem linguam ut in Cardinalis prioris heri mei domo brevi tempore & facile didiceram, ita multo breviori tēpore & facilius postea sum oblitus. Illud caput meorum erat malorum, quod florentem ætatem in tam vili & nihil olim profuturo ministerio consumebam. Sed præsentibus capiebar, futurorum securus. In vestitu, victu laute habebam. ex omnibus domesticis apud herū nemo plus poterat. Portæ instar erā, per quam quasi solam ad heri amicitiam patebat aditus. Unde tibi, quæris, tantus favor, præsertim nullis fere bonis instructo artibus? Quasi vero bonis tantum artibus dominorum favor colligatur! ni-

*Quibus
Magnas
res fa-
veant.*

hil vidi minus. Quid melius, quid honestius veritate? Atqui *Veritas odium, obsequium amicos parit*. Famulabar ego heri cupiditatibus, simul & meis. Celebs ille erat, firmæ & robustæ ætatis, in omni rerum abundantia ad omnem hilaritatem pronus. nihil mirum si amoribus paullo licentius indulserit: ad quos conciliandos me uno proxeneta utebatur. Verum quidem est nonnumquam apud honestas feminas virginesque, quarum amores sollicitabam, ejusmodi repulsas passum, ut existimationis suæ memorem à tam turpi ministerio avocare merito debuerint; quò etiam ipsa me incitabat conscientia: sed vicerunt nescio quomodo gratificandi hero studium, & prædæ, in quam nonnumquam veniebam, societas. Deperibat herus meus amore nobilis cujusdam feminæ, Fabiæ nomine: quem suum affectum quum mihi aperuisset, rationes mecum inire cœpi quibus eum voti sui compositionem facerem. Commodissimum visum est, si ad ancillam Fabiæ animum ego adjicerem, eamque in partem curæ & laboris assumerem. Quod quum ex voto successisset (neque enim ad sapius ante captum opidum validus aries admoendus erat, quod ultrò quasi in meã venit ditionem) incredibile est quanto studio, quan-

*Modi
expugnanda
pudicitia.*

quanta astutia pessima puella heri mei
 causam egerit. Jam ipsa Fabia, etsi nec
 verbo, immò ne nutu quidem ullam tur-
 pis obsequii significationem dederat, eo
 tamē male audiebat, & fere digitis osten-
 debatur, quod vicini quotidie me ædes
 ipsius quasi obsidentem viderent, meque
 lenoniam apud herum agere non igno-
 rant. Tanto vero facilius locum inve-
 niebat suspicio, quod virum provectæ
 jam ætatis nec facultatibus admodum
 abundantem, eoq; parcum & restrictum
 haberet. Indignabatur quidem illa, sini-
 stris pudicitiam suam, qua nihil charius
 ac preciosius habebat, differri rumori-
 bus sentiens; nec famam jurgiis, convi-
 ciiis, vociferationibus aut aliis similibus
 modis, refutare, sed astu potius simul
 & me amoliri & innocentiam suam
 ostendere satagebat. Victam se simulat.
 Nicolettam (id ancillæ nomen) monet
 ut hanc suam mentem mihi aperiat.
 Quid utroque nostrum lætius? Scuta-
 tis aliquam multis oneratam à se Nico-
 lettam dimittit herus: mihi benignè pro-
 mittit. Condixerat mihi Fabia certum
 locum & tempus, quibus mecum de mo-
 dis obsequii hero præstandi ageret. at
 ter ad minimum vadimonium deserue-
 rat, me frustra præstolantem ludificata.
 sed quum illa semper nescio quid præ-

*Vide pri-
mā par-
tem.*

texeret, fraudem non sentiebam : quam
 tamen iis quæ alibi mihi acciderant mo-
 nitus, merito olfacere debebam. Sed serò
 sapiunt Phryges. Die maxime pluvio ad
 colloquium invitârat me Fabia. Nox
 erat illunis, viæ cæno ita oppletæ ut vel
 ocreatus eluctari vix posset. Nihil ta-
 men impedire me poterat quominus
 vadimonium obirem. Sic ergo totus
 madens in densissimis tenebris manu
 explorans iter, & caput parietibus hic
 ibi impactum, tuberibus plenum refe-
 rens, ad conductum venio locum. Ex-
 periundo tum didici, nullam rem tam
 difficilem esse, quin facilis fiat, si lu-
 bens eam facias. Sed humani vide per-
 versitatem ingenii. Egone in re lauda-
 bili tantum laboris ac tædii exhausis-
 sem? Vix profecto. nunc quum male
 faciendum fuit, omnis mihi levis visus
 fuit labos. Ad datum à me signum,
 quum stillicidio insuper, sub quo stan-
 dum mihi erat, vestes omnes perplue-
 rent, tandem Nicoletta occurrit : cujus
 vocis flatu totus jam siccatus mihi
 videbar. Non multo post adest quoque
 Fabia, ancillam discedere, & domum,
 herum inprimis, dum ipsa mecum
 loqueretur, observare jubet. Usitatis
 in ejusmodi congressibus, salutandi &
 percontandi formulis defuncti ego illi
 meam

*Prava
suavis.*

meam benevolentiam, heri amorem
 expono; illa, gratis humanissime actis,
 totam se in ipsius potestate fore promit-
 tit: Ego quum præmeditata oratione
 magis ipsam incitare exorsus essem, illa
 loquentem interfata. Quam vereor, in-
 quit, mi Gufmane, ne quis domestico-
 rum aut vicinorum sermoni nostro sit
 arbiter. Tu, quæso, interim dum ego
 mihi ab insidiatoribus caveo, & domum
 exploro, rectâ hinc perge, & in con-
 clavi quod invenies me exspecta, brevi
 reversuram. Cave vero si me amas, ne
 vel minimum excites strepitum. Eo quò
 me jufferat; sed quum vix unum &
 alterum passum essem progressus, in
 montes velut quosdam quisquiliarum
 pedes lapsabundus, caput in haræ (hæc
 enim conclave illud erat) parietes im-
 pingo. Fetore offensus, non diu ibi mo-
 ror. egressus, illam ipsam portam per
 quam intraveram adhuc apertam video.
 Circumspiciens omnia quantum in tam
 densis tenebris fieri potuit, dubitare cœ-
 pi, num forte per tenebras à conclavi illo
 aberrâssem: eoque denuo locum obire
 omnesque angulos explorare volui. re-
 gredior ergo, sed aliâ viâ in angiportum
 quemdam delatus, pergulam ruino-
 sam invenio, in eaque locum alvo pur-
 gandæ destinatû. Quid mihi tum animi

*Affutia
 lauda-
 bilis.*

*Timee
omnia
malis
sibi con-
scius.*

fuerit, facile quivis cogitabit. Celeriter me inde proripio, per portam illam domum reversurus. Sed clausa jam erat. quare nihil aliud cogitatione mihi fingere poteram, quam ab astutissima femina insidias mihi structas; & mox maritum adfore qui me Venereum nepotulum & turpis amoris conciliatorem vel interficiat, vel probe depexum, femivivum dimittat. Inter has curas & anxietates (jam enim pluviarum, fetoris, aliasque molestias vix sentiebam) nocte illa exacta, mane apertæ strepitum portæ audio. Stultus adhuc Fabiam ad me venire mihi imaginabar. Procedo inter spem metumque, dextra gladium, sinistra pugionem tenens: sed quum neminem vidissem obvium, recondito in vaginam gladio per portam erumpo: domumque reversus, uvidis depositis vestibus, in lectum me compono, madore & gelu confecta ac pæne emortua membra quiete & lecti calore refocillaturus. Jam illa me unice torquebat sollicitudo, quid hero proculdubio effecissem, & quo in statu amores sui essent sciscitaturus responde-re vellem. Verum si dicerem, paratas mihi videbam omnium vocolas & vexationes. Negaremne? atqui jam Nicoletta scutatos aliquot, ut supra dixi, accepe-

*Negotio-
sa res
malitia.*

ceperat: & verendum erat, ne herus meus id tantum à me actum putaret, ut argento ipsum emungerem. Sed res mea ipsius opinione melius cecidit. Postquam enim ille me rogavit, cur quid à me cum Fabia actum, non indicassem: respondi, hinc inde commeantium tota nocte in platea illa tantam fuisse multitudinem, ut ante mediam noctem ad aedes Fabiæ propius accedere ausus non fuero. tandem pulsanti mihi dictum, fieri nullo modo posse ut illa nocte ad heræ colloquium admitterer. Jussit ille me urgere negotium, eique sequentem noctem infumere. sed ego per valetudinem me excusabam: quam excusationem ipse vultus mei pallor probabilem faciebat. quare monitum ut valetudinem imprimis curarem, & quæcunque necessaria à suis peterem, cubitum me discedere jussit. Tantam ego humanitatem verbis & gestibus decenter remuneratus, priorum laborum, quod beneficium bene collocatum viderem, tanto facilius sum oblitus. Vix alter dies illuxerat, quum ecce à Nicoletta adest puella, litterulas, ferens quibus scire cupiebat, quid cum hera sua actum, quid impetratum esset. Erant in iisdem verba quædam, quibus animus mihi non minus confundebatur quam pun-

Vis humanitatis & beneficentia.

gebatur. Rescripsi, venturum me illo ipso die: observaret me eo quem designabam loco. Erat is ad posticam ædium, in quibus Fabia habitabat, partem, angiportus, pervius ille quidem, sed tam angustus ut alter alteri si forte occurrerent, vix possent cedere: tum ita cœnosus, stercoribus, aliisque sordibus oppletus, ut vix à quoquam tereretur. accesserat prioris diei ac noctis pluvia; ut mihi quoque ad destinatum locum, unde cum Nicoletta commode poteram colloqui, pervenire difficile fuerit. Ubi illa me vidit, eadem quæ prius per litteras exposulans, cum ingenti admiratione quæ priori nocte accidissent ex me audit. Dum sic tam de præteritis quam futuris verba serimus: ecce porcus grandis & crassissimus, quem è vicino stabulo solum rostro fodientem equiso multis ictibus abegerat, tam repente in me NICOLETTÆ sermoni intentam incurrit, ut non dato declinandi spatio (est enim animalis hujus ingenium ut non minus quam Terminus, Nulli cedat, sed viam suam rectà pergat) divaricatis cruribus me insidentem, & cadendi metu caudam tenaciter amplexum, multos passus abstulerit priusquam à tali equitatione expedire me possem.

Sic

*Ridiculus
casus
Gustavii
mi.*

Sic insidens in sordidissimum finetum deferor, in quo ne dejicerer aut decidere summa mihi cura fuit. equum ergo meum non calcaribus sed pugnis quantum possum incito; ille rostro mihi obverso grunniens, Pegaso velocior, nullibi consistens, quacunq̄ apertum videbat iter, pervolat. Quum interim plurima turba ad tale spectaculum occurrisset, melius facturum me putavi, si desultoriam facerem, & vel in medium cœnum me præcipitarem. Quod utinam initio statim fecissem, & quadrupedi me potius quam invidis & malevolis conculcandum ac differendum præbuissim! Metui scilicet ne vestes commacularem; dum interim omnem de me existimationem maculo, & toti civitati deridendum me propino. Sic è fimo ac cœno ægrè eripo, totus quantus quantus eram, sordibus oppletus, ut modo è balenæ quasi ventre in terram ejectus viderer. non oculi, non os, non frons apparebant. nihil vero tam molestum mihi erat, quam quod ab ingenti hominum multitudine, puerorum imprimis, cinctum me viderem, qui clamore suo me quacunq̄ ibam prosequerantur, & ad insaniam pæne redigebant. Certe parum absuit quin tanquam alter Ajax

*Infelici-
bus ludi-
bria sunt
parata.*

stricto gladio in pecora & in homines fuerim irruiturus. Sed continuit me ratio, qua monstrante, subito in domum quamdam irrumpo, & oclusis foribus, populi ludibrio me subduco.

CAPUT III.

Gusmanus fabula vulgo factus, Româ relictâ, Florentiam se confert. Ab impostore, cum quo in via amicitiam contraxerat, magna peculii parte spoliatur.

JAM dies abierat. Quum ergo ædium dominus, qui me hætenus sub interiore porticu latentem, tulerat, adhuc morantem & de habitu nihil cogitantem videret; jurgio & conviciis domo me exegit: ne situlam quidem aquæ, abluendo vultui, à suis mihi porrigi passus. Plena adhuc erat platea casum meum commemorantium, eique illudentium. Inter centum vix unus erat qui mei commiseratione tangeretur. quin plerique ædium dominum inclamabant ut purum hominem quanto-cyus eijceret: adeoque nonnulli lapidibus

*Facienti
homines
plerum-
que in-
sultant.*

bus fores impetebant. Ego interim cultro de vestibus quod poteram cœni ac luti abradebam. sed nihil hoc erat. Fimi enim loquor non interiorem tantum vestem, sed & ipsam cutem mihi irrigarat. illud tamen luci feceram, quod interea humor è vestibus aliquantum exstillarat. alioqui enim per plateas incedens similis futurus eram illis linteis quæ ad solem siccanda, jam jam ex ipso aquali deprompta exportantur. Hoc modo egressus, caput pallio involvo, & celerrimo gradu aufugio. nec tamen illudentium mihi diætèria effugere poteram. nec pueri tantum clamoribus sed & canes, parvorum illud inprimis pessimum genus latratibus adeoque morsificationibus me persequabantur.

Inter omnes unus prodierat juvenis, robustus, toto corporis habitu militari: qui non modo tam acerbe mihi insultantes increpabat, sed & insectantes abigebat: cujus præcipue operâ domum tandem veni. Sed ecce aliam calamitatem. Dum clavem quærens, caligarum sacculos omnes excutio, nec quidquam invenio, dici non potest quantopere fuerim consternatus. Videbam enim clanculum, uti speraram, in ædes meumque cubiculum surrepere me non posse: nec dubitabam quin si
vel

vel uni domesticorum visus essem, statim res omnis ad heri noticiam esset perventura. Sultum me, qui rem lippis & tonsoribus natam clam habere cupiebam! similis in eo nescio cui feminæ, cui quum tota facies cultro transversim ducto esset convulnerata, illaque chirurgum & circumstantes unice rogaret, ne marito quod acciderat patefacerent, chirurgus, Vulnus, inquit, hoc celari forte poterat, si natibus tuis esset inflatum: nunc quum tam conspicuum locum occupet, ut omnes celent, tu ipsa numquam celaberis. Sic ego mecum: Quid miser! tune vis ut quod omnes sciunt, nesciant? An soli manum oppones, ne luceat? Quin tu quod factum est æquo ser animo, nec hominum voculas & judicia morare. Amicum ergo maxime tutum in rebus adversis perfugium existimans; unius è domesticis ministris cubiculum pulso: qui ubi me vidit, tamquam ad spectri accursum cohortuit. Rogo, quoniam clavem cubiculi mei amisissim, ut fabrum accerferet qui illud aperiret. Quod ubi factum, vestes abjicio, recentes induo. Vix hoc feceram, quum herus de infortunio meo jam certior factus, venire me ad se jubet. Scribendo tum erat valde occupatus herus. non verbum ille ad me

*Animo
bono in
re mala
opus.*

me priusquam familiares omnes cubitum concessissent. Tum quid mihi acciderit rogat. Narro non hoc, sed quod ego finxeram, quodque credi vellem. sed & herus credebat quod ipse vellet. Tandem, Video, inquit, Gufinane, te quidquid hujus machinatus es, die Martis auspicatum esse. Ergo, inquam, here, in eadem tu superstitione es qua Hispani mei, qui diem hunc inauspicatum plane arbitrantur? Sed licet omnia fortunæ tela in me dirigantur, nihil tamen erit quod animum hunc valde possit lædere, dummodo gratum tibi obsequium præstare queam. At ille talem quidam affectum exosculari, sed non tam voluptatis quam existimationis curam habendam sibi dixit. Etiam minimos naves in publica persona notari. Domesticorum culpam dominis plerumque imputari, & sæpe luendam esse. Nobili prognatam esse genere FABIAM: tantoque majorem sibi curam adhibendam ne mihi illatum ludibrium in se quoque redundet. Fate-ri, FABIÆ amore se fuisse percussum: atqui jam instar generosi falconis, si vel ultro sese offerat, gratiam ei facturum. Desinerem post hac istarum rerum. Quò verba illa tenderent, faci-

facile intelligebam. Et ut verum fatear, quia toti urbi eram fabula, ipse quamprimum cupiebam discedere. Amantium vero cæcitatem tacitus mecum admirabar. Quid? tantumne & in omnium positum oculis virum suum existimationem quasi manibus meis & fidei committere! illud vero multo magis mihi mirum videbatur, quàm fieri potuerit ut homo tam mendax ad intimam tanti viri familiaritatem penetrârit: ut ille mihi secreta sua, aurum, argentum, vestes crediderit. Sed profectò ipsa mendacia, tempeſtively tamen & cum colore adhibita ad hæc mihi profuerunt. Sed & postea res meas omnes everterunt. Adeò nihil stabile mendaciis inædificari potest.

Quod vero discessum meum maturavit, illud fuit, quod jam pueris quoque ex infortanio meo notus, vix in publicum prodire auderem; & si quando prodirem, ab obviis digito demonstrarer. Vere quidam dixisse mihi videtur, qui rogatus, quanto tempore opus esset ad transeundum de sapientia in stultitiam, respondit, Prout, quis, celeriter vel lente, à pueris incitaretur. Me quidem quum die quodam in publico nacti essent pueri quibus casus meus notus erat, tantis sibilis, tantis clamoribus & lu-

& ludibriis infectati sunt, ut tantam injuriam (sic rebar) etiam morte aliquorum vindicare statuerim. Dum insana ejusmodi agito consilia, ecce idem ille juvenis quem auxilium mihi tulisse supra dixi, cum uno & altero amicorum supervenit; & tam verbis quam factis mei suscipiens defensionem, dum socii inconditam turbam sermonibus suis detinent ac deliniunt, domum me sua manu deducit. ago gratias quam humanissime, nomen quæro, ut ex occasione pro beneficio gratus esse possem. sed nihil ille aliud, quam quidquid fecerit, id se animo benevolente fecisse; & in majori re, pro virium suarum tenuitate, gratificari mihi paratum. Rogo ut in posterum visitare me velit: sicque hominem multis promissis oneratum dimitto. Etsi autem vultum maxime ad hilaritatem fingere conabar, herus tamen facile primo aspectu sinistri aliquid mihi accidisse deprehendit. Tacuit tamen, quidquam se scire dissimulans, at ministri, quibus immistus stabam, alius mappa os sibi obturare, alius faciem manu tegere, omnes avertere se, ac tandem ex ipso cenaculo se proripere, risu ilia pæne rumpente. Hic herus gravissime indignari, inclamare omnes, increpare, adeoque in convicia ac minas

nas erumpere : quod numquam ante ab eo factum videram vel audieram. Totum ego me tum quasi in alium hominem mutatum sensi. In hoc veluti speculo ludibrii omnes maculas, omnes nævos ingenii & morum meorum intueri mihi videbar : & nisi herum ipsum habuissem ejus quod actū fuerat conscium, è vestigio, nemine salutato, eram aufugiturus. Prandere me jubet herus, ipse cubito mensæ incumbens & mentum manu suffulciens. quum paullulum adhuc sedisset, prope surgit, non sine magna omnium domesticorum perturbatione, qui sibi iratum existimantes intempestivū illum risum magno redemptum volebant. Ego quum dies aliquot cubiculo me inclusum tenuissem, lectioni & Musicis exercitiis vacans, & cum amicis qui interdum ad me ventitabant colloquens, hero interim pastum, & quidem solito lautiozem mihi præbere jubente ; mox non tantum domesticorum liberatum me ludibrio, sed in majori quā antea existimatione & honore esse sensi. Inter alios frequenter ad me veniebat ille qui bis mihi jam succurrerat juvenis ; cujus consuetudine tanto magis delectabar quod ex eadem esset natione. Aiebat Romam se venisse, nescio cujus dispensationis obtiendæ causâ : jamque diu

*Ecce
perfectum
Laver-
tionem.*

diu multos, frustra fere, sumtus fecisse. Is in sermone aliquando jecerat, mirari se quomodo in cubiculo tamquam in monasterio sic delitescere possim. Quod si meo loco esset, se libertate rebus omnibus prælatâ, exterâs regiones per-lustraturum. quæ quidem res iis qui emergere cupiant, magno sit emolumento. Ex omnibus vero regionibus nullam esse visu digniorem Italia: cujus caput quum mihi melius forte quam ipsa mea patria cognitum sit, rectè me facturum si nobilissima quoque ejus membra, & quæ passim monstrantur tam Naturæ quam vetustæ Artis miracula ipsis oculis usurparem. Digressus ille totum me unica ejus de qua dixerat rei cogitatione & cura occupatum reliquit. Aperiopropositum meum Oratori: quod ille summopere probabat, adeoque magis me incitabat. Etsi enim opera mea non ingrata ipsi erat; veritus tamen ne mea infamia in se quoque redundaret, jamdudum abiturum meum nequaquam ægre tulisset. Quod si in Galliam proficisci mihi esset animus, litteris suis apud amicos effecturum se ajebat ut nihil mihi deesset eorum quibus peregrinantes iuari amant. Ego quamvis non levi fforentissimi regni, sed in primis maximi Regis videndi tenerer desi-

desiderio : prius tamen Italiam in qua jam eram, obire constitui: sicque ad iter me comparavi.

Quotidie interim veniebat ad me Hispanus ille juvenis, è Sajavedrarum (quæ nobilissima est apud Hispalenses familia) gente se mentiens, quum Valentinus esset: ceteroqui ingenio perquam & celeri & eleganti, moribus gestibusque ad honestatem ac decentiam mire compositis, tantâ vero facundiâ ut alter quasi Mercurius videretur. Is in sarcinulis meis componendis tam voluntariam quam gratuitam mihi præstabat operam. Roganti quò primum iter habiturus essem, respondi, Senis amicum me habere, Pompejum nomine; ad quem sarcinulas meas essem præmissurus: inde me Florentiam iturum. Interim dum ille me reculas meas convasantem non videt tantum sed & adjuvat, facile notavit quid in quaque esset sarcinula. Erat inter alias una, in qua torquem aureum, gemmas aliquot, nodos aureos, trecentos insuper scutatos Castellanos incluseram. Unde, tibi, inquis, tantæ divitiæ? Dicam: Subtrahebam hero quantum poteram, tam caute tamen ut fraus non pateret. Multa quoque dona ab iis qui ædes nostras frequentabant accipiebam, ut quem plu-

Aulicorum divitiarum unde.

plurimum apud herum posse non ignorabant. Sed nulla è re majorem quaestum feci quam è lusu: non quidem ipse ludens, sed chartas aliorum observans. quod si herus lucrum fecisset, ad me quoque adventitii pecoris pars redibat. sin alii; nemo erat ex omnibus, qui primo chartas mensæ imponentem, deinde cujusq; nutibus intentum omnibusque ministrantem, immunem dimitteret. Alias artes quibus plerique meæ sortis homines peculium sibi acquirunt, taceo, ne docere videar. Sed ad Sajavedram redeo. Is ubi sarcinulas meas & in iis multa quæ sua esse vellet, vidit, in hoc unum omnes curas & cogitationes intentas habuit, ut ipse potius quam ego iis frueretur. & ecce statim Lavernam alumno suo faventem. Dum quadam die (ventitabat enim ad me quotidie) variis de rebus, sed in primis de meo itinere colloquimur, domestici me vocant, ajunt; Nobiles quosdam adesse, qui me conventum cupiebant. Quia vero cubiculum meum fordibus, ob convasationem & propinquum meum discessum, jamdiu purgatum non erat; descendo, amicos, quos adesse putabam, alloquuturus. Sajavedra interim, qui antea notarat quo loci claves mearum sarcinularum
 repo-

reposuiffem, earum formam ceræ, quam
 è candelarum reliquiis hinc inde per cu-
 biculum fparfis collegerat, aut forte ei
 rei paratam fecum attulerat, imprimit:
 dum ego cum aurigis (hi fcilicet erant
 illi Nobiles) de vectura tranfigo, diem-
 que craftinum conftituo quo farcinas
 meas illis confignarem. Reversus rem
 omnem expono : nimirum velle me
 reculas meas præmittere, & poft oñi-
 dum, quòd amicis valedicendo in-
 fumturus efferem, fequi. Poft unum &
 alterum diem venit ad me Sajavedra
 fub ipfum noctis confinium, vultu
 plane trifti, facie, ut mihi videbatur,
 fubpallida. Rogo, ecquid valeret. ait,
 magis fe vexari capitis doloribus. im-
 mò totum corpus fibi dolere. Domum
 fe ire velle. rogare ut ne boni & fidelis
 amici oblivifceret. Infelicem ego me
 putabam quòd meo in cubiculo occa-
 fionem bene tractandi amici non habe-
 rem. Rogo ubi habitaret : ut & ad
 ipfum vifere, & ex iis quæ ægris gratæ
 & falubres funt rebus mittere aliquid
 poffem. Respondet, fe in contubernio
 vivere cujufdam feminæ, quæ omnino
 agnofci nollet. Ceterum fi morbus non
 remitteret, miffurum fidum hominem,
 deque fuo ftatu certiozem me fafturum.
 Mane celeri conducto equo Senas con-
 ten-

*Initium
 fraudis
 à Sajave-
 vedra
 facta.*

tendit Sajavedra, quò paullo ante sarcinulae meae delatae erant. Præmiserat vero suae farinae quosdam, qui diligenter omnia observarent, ejusque adventum præstolarentur. Senas quum venisset Sajavedra, ad insigne S. Marci, præcipuum ea in urbe hospitium divertit. Ad sunt mox Laverniones socii. illum Nobilem Hispanum, se ministros fingunt. Personas utriq; suas egregie agunt. Eodem statim die mittit è ministris unum Sajavedra ad Pompejum, quem supra dixi: adventum suum nunciare jubet. Quo intellecto, tanta incessit læticia Pompejus, ut quid primum, quid postremum faceret, non satis sciret. Injuncto prope humeris pallio, ad hospitium advolat. Post mutuam salutationem & complexum, magnam ait sibi factam injuriam, qui non potius in domum ipsius quam aliò diverterit. Se suaque omnia in ipsius esse potestate uteretur pro libitu. Digressuro jam Pompejo, personatus ille Gusmanus, ipso vidente & audiente, è ministris unam clavem dat, cum mandato ut è sarcina, quam certis designabat notis, vestem, cujus item formam describebat, de promptam sibi adferret. Ad cenam Pompejus vinum lectissimum & exquisita amico, uti putabat, mittit bellaria, absentiam suam

suam per negocia excusans. Vix diluxerat, adest. Ajunt ministri, in lecto adhuc esse, quod noctem eam non satis commode habuerit. abeuntem nihilominus summa vi retinent, jurgia ab hero sibi parata dicentes, si tanti amici adventum non significassent. Accersitur statim in cubiculum Pompejus. Post varios sermones Sajavedræ iterum domum suam pro hospitio amicissime offert. agit ille gratias: hoc tamen beneficio jam uti se velle negat, quod propediem dimissis ministris, longum iter ingredi constituisset. rogat ut sarcinulas Pompejus per domesticos sibi mitteret. Paucos se fidos habere: qui quum propediem dimissum se iri non nesciant, tanto magis ab eis cavendum esse. Prudenter hoc excogitatum arbitrans Pompejus, quidquid erat apud se mearum sarcinularum bajulorum humeris imponi, & uno è suis comitante ad Sajavedræ hospitium deferri curat; simul missis lautis quibusdam ophaniis, una cenat, totusque se, oblectando hospiti, ad letitiam componit. Post ejus abitum Sajavedra & focii statim aliam in domum se conferunt: summo mane Florentiam proficiscuntur: prædamque omnem in medio positam inter se dividunt. Habebat Sajavedra in comitatu suo homines aliquot.

aliquot, ab ipsa, ut sic dicam, natura ad omnem fraudem & nequitiam factos: inter quos familiam ducebat Alexander quidam, patria Bononiensis, cujus pater in ejus urbis territorio magni erat nominis Jureconsultus, & in magistratu quoque constitutus. Duo huic erant filii, tam disparis ingenii ut magis diversum vix quidquam cogitari possit. Major natu Vincentius nomine, ingenio erat aperto & hilari, sed vano admodum & jactabundo, ut qui præter militaria exercitia (quibus ne ipsi quidem Marti cedere se ajebat) etiam Musices, Poëtices, omniumque litterarum scientiam sibi arrogabat, & in circulis passim vaniloquentia sua mirificos risus excitabat. Equidem quum recte cogito; sic statuo, etiam N. N. multosque alios magnifice de se sentientes, aliorum contemptores, ex hujus esse profapia, sed fruuntur sua insania. Frater Vincentii hujus fuit Alexander ille quem diximus: homo taciturnus, tristis, ingenio & manu ad quidvis prompto, qui quum à puero malis hominibus familiariter assuevisset, parentum indulgentiâ eò processit ut nullum in eo facinus incredibile videretur. Hunc ipse quoque Sajavedra tamquam ducem suum & caput verebatur, ejusque decretis stare cogebatur.

*Heronim
filii
nota*

Peculiolum vero meum hic ita partitus fuerat, ut inter Sajavedram ac socios vestimenta aliquot detrita & non magni precii distribuērit, gemmas, aurum omne & argentum, præter scutatos aliquot, sibi servârit. Divisis spoliis, Alexander Florentia in Bononiense territorium, ad declinandum periculum, alii aliò discesserunt.

*Sero sapi-
mus.*

Quum interea altero die Pompejus in hospitio me frustra quæsitum jam discessisse, in salutato se, intellexisset: statim fraudem subesse suspicatus, ad summam diligentiam nihil reliquum fecit ut quonam ille tam carus sibi hospes sese proripuisset, expiscaretur. Ubi ergo cum ministris Florentiam celeribus equis profectum cognovit: magistratum adit, & listorem quem cum publica auctoritate ad apprehendendos fures mitteret, dari sibi petit, quod quidem non difficulter impetravit. Sed à personato Gufmano ad verum redeamus.

*Leta-
mur ma-
lorum
ignari.*

Dum hæc fiunt, ego mei ignarus infortunii tam domi quam foris hilariter admodum dies aliquot transigo, amicis valedicens; angebat me tamen Sajavedræ morbus; à quo quum frustra nuncium expectassem, summam adhibui diligentiam ut ipse hospitium ejus indagarem. Sed explorare certi

certi nihil potui. & quamvis multa mihi in mentem venerint, illud tamen credebam, aut mortuum esse, aut hospitium suum eò celare me voluisse, ne paupertatem suam, quam honesto habitu egregie dissimulabat, coram arbitraret. Ne tamen ille frustra me post discessum meum quæreret; uni familiarum duos vel tres scutatos dedi, quos ipsi daret. Tandem decreta in sequentem diem profectioe, hero valedixi: qui auream catenulam quam assidue ante gestaret, collo suo detractam meo injecit; Sit hoc, inquiens, amoris mei & benevolentiae erga te monumentum, cui ego, Deum testor, ex

*O rariss
herum!*

animo semper bene volui, bene volo, & bene volam, quamdiu in virtutis semita permanferis. Quam calidis inde exhortationibus ad virtutem me incitârît, quam salutaribus præceptis instruxerit, etiam nunc recordor, tum vero omnium statim oblitus. Crumenam insuper mihi dedit aureis scutatis plenam, tenue, ut ipse ajebat, viaticum. Tanta liberalitas, mihi lachrymas quoque expressit, tum demum intelligenti qualem herum habuerim, & in quantis bonis vixerim, quibus mihi postea carendum esset. Equum insuper è melioribus unum dari mihi jussit, quo mul-

tis deinde annis commode usus sum. E domesticis nemo erat qui non magnam è discessu meo caperet molestiam. Semper omnibus fueram amicus. etiam offensus, injuriam, quoad ejus fieri potuit, dissimulâram. Apud herum nihil in cujusquam præjudicium vel odium loquebar. si quid animadverterem minus recte vel dici vel fieri, ipsos delinquentes amice admonebam. Ut omnibus opera mea parata erat; sic vicissim omnes meis utilitatibus unice studebant. quod quam utile mihi fuerit, dici non potest. Et quamvis herus meus me præcipuum suis haberet rebus & consiliis, non tamen supra ceteros me efferebam, sed tamquam frater inter fratres versabar; omnibus nihilominus me non tamquam æqualem sed superiorem observantibus. Verum quidem est, in illo meo infortunio neminem fere fuisse, qui risum tenere potuerit: sed profecto ita cum rebus hominum comparatum est, ut cum fortuna, non fides tantum, sed etiam respectus cadat. Nec tam tristis ille casus meus erat quam ridiculus: licet inde, vel potius à Nicoletta mea, omnis mei mali origo profluxerit. Potuisset quidquid hujus factum erat, vel oblivione sepeliri, vel variis modis excusari: sed.

Sic vivitur sine odio sine invidia.

ri : sed pessima puella ubi à me nihil amplius sibi sperandum vidit , omnibus suis amicis & amicabus quod mihi acciderat tam graphice enarrabat , ut risu crepare omnes viderentur. Vides quam noxia sit indomita malæ mulieris lingua , quæ sine ullo suo commo-
Mulieris lingua, non vacua.

do me quasi pessumdedit , domum heræ suæ infamavit, & herum meum fidei ministro privavit. Cato sis, non modo non secretum , sed vix quidquam quod alios scire nolis , feminae committe. Tinniet olla quamprimum pulsata fuerit. parva scintilla magnum incendium excitabit.

Româ egressus , brevi Senas pro-
 lavi, multa animo volvens ac revolvens.
 Quæro Pompeii ædes. Excipit ille me
 promptus quidem & alacris , sed per-
 turbato , ut statim mihi videbatur, ani-
 mo; utpote ejus quod acciderat gnarus.
 In cubiculum deductus , circumspicio:
 quum nihil mearum sarcinularum vide-
 rem, & ipse animo hæsitare cœpi. Ce-
 namus unâ laute, & in speciem hilariter:
 quum utrique ne unicus quidem bolus
 uti debebat, saperet.

De sarcinulis meis altum silentium,
 mihi vero incivile videbatur ubi eæ es-
 sent rogare , ne amico viderer diffide-
 re. Sequenti die quum magnifice me

*Verum
tandem
dicen-
dum.*

per omnes urbis plateas inferre statuissem : rogo unam ex vestibus meis melioribus mihi adferri. Quid faceret homo? venit ad me , narrat quod acciderat: Quid mihi tum animi fuisse putatis? Non suspicabar, sed ariolabar à Sajavedræ manu hoc esse. Sed quid facerem ? solabatur me Pompejus. missos à se qui fures inquirerent. sperare, rectè omnia successura. O miserum solatium! Dissimulabam tamen omnem qui animo meo penitus infixus erat dolorem. Neque solum necessitas, sed ipsa quoque raito id mihi suadebat. Quid enim? ob reculas quasdam (neque enim omnem illam meam esse substantiam sciebat Pompejus) amicum ego abdicarem? & quidem, ut facile colligere poteram, nullam suam ob culpam, nisi credulitatis: quam tamen mihi imputandam me mea ipse convincebat conscientia. Cur enim Sajavedræ ignoto homini tantum fidei habui? cur sarcinas meas ipso inspectante colligavi? Sed fraudem non facile præsumit nisi fraudulentus. Tu quisquis es, cave etiam ab eo à quo cavendum tibi minime arbitraris. O quam sæpe ipse cautor capitur! Superabundans cautela (Jureconsultorum phrasi loquor) non nocet quidem; sed nec semper prodest.

*Fide
parum.*

CAPUT V.

Gusmanus, amisso peculio, Florentiam proficiscitur. in via Sajavedram obvium habet, & ministri loco suscipit. Describitur Florentia.

INter spem metumque Senis triduum commoratus, de eo quod mecum tuleram in Pompeji domo nihilo minus Suntuo-
se cela-
tur pau-
perias. largos sumtus feci: perinde ac si res meæ omnes adhuc essent in integro. Damnū, etsi internecivum, verbis ac vultu aspernabar: quo majores meæ divitiæ crederentur. illud unice male me habebat, quod nullam haberem vestem qua in tam magnifica urbe & inter præstantissimas formas ostentare me possē. Commodum ad mensam assederamus, quum è domesticis Pompeji aliquis in conclave irrumpens, Lictores adeste, clamat, manifestum esse furtum, & præcipuum auctorem apprehensum. Non hominis ego, sed angeli vocem audire mihi visus eram; nec dubitabam quin ad pulvisculum omnia quæ amiseram in meam reditura essent potestatem. Jam ipse animus lætitiā nō capiebat, sed in val-

tum, ita crumpebat ut vix apud me
 essem. Surgo propere, lictori non mi-
 nus ac si thesaurum invenisset & ipsi
 lætanti obviam eo. rogo, quæ de rebus
 meis spes. Ait, brevi omnia in salvo
 fore. Pergo querere, quid comperisset.
 Respondet, unum de furibus compre-
 hensum, ceteros evasisse. Sed ab illo
 omnia resciri posse. Hic mihi animus
 repente iterum concidit, omnisque mea
 lætitia in summam indignationē adeo-
 que furorem conversa fuit: quem ta-
 men, utpote nihil profuturum, quanto
 poteram studio dissimulabam. Pallium
 sumit Pompejus, & ad Judicem currit,
 ut diligentiam ejus excitaret, & favo-
 rem nobis tam flagitiose circumventis
 conciliaret. Sed nec hoc nec quidquam
 aliud nobis vel hilum profuit. Qui ap-
 prehensus erat, negabat à se, sed ab aliis
 furtum commissum. nihil inde ad se
 præter nescio quem detritum centun-
 culum rediisse, quem Florentiæ vendi-
 derit, & precium perquam vile in vi-
 ctum suum impenderit. Quid sit? Con-
 demnatur à Judice furunculus ut virgis
 publice cæsus è civitate ejiceretur. Quod
 ubi intellexit quidam è Pompeii dome-
 sticis, lætus ad me accurrit, & ut ad ju-
 cundissimum spectaculum exirem hor-
 tatur. Jamjam enim rerum mearum de-
 pecu-

*Tanto
 dignum
 iniuria
 scilicet.*

*Mise-
 rum so-
 larium.*

peculatorum publice pœnas daturum.
 Ego mecum : O te hominem insulsiſſi-
 mum ! quem quidem ego , ſi poteſtas
 mihi eſſet, probe depexum daturus ſim.
 Tunc paupertati meæ hoc adfers ſola-
 tium ? Et profecto in jurgium erupif-
 ſem , niſi in mentem mihi veniſſet id
 quod Hiſpali accidiffe quondam audi-
 veram. Conviſtus quidam quod falſam
 cudiffet monetâ, ſpeciali ſupremi Con-
 ſilii mandato ad furcam damnatus erat,
 poſthabitis omnibus quas rei Procura-
 tor interpoſuerat exceptionibus, illa in-
 primis qua ad Eccleſiaſticum Judicem
 (erat enim Clericus) provocabat. Re-
 acriter diſceptata, quum à rigido Judice
 nihil obtineri poſſet , Procurator reum
 ad ſupplicii uſq; locum comitatus quum
 implicitum laqueo collum jam habe-
 ret, furcæ adſtans, miſerum inſclamat,
 proteſtatur ſe in cauſa ipſius agenda
 nihil omnino prætermiſiſſe : Judicem
 nihilominus de factò procedere. Cui
 quum vi reſiſti nequeat, hortari ut pa-
 tienter omnia ferat. Se quidem etiam
 porrò cauſam ipſius ſtrenuè acturum,
 nec diſceſſurum quamdiu vivum vide-
 rit. O præclaram & efficacem conſola-
 tionem ! Numquid Monetarius ille ad
 ſollicitatorem ſuum dicere poterat: Fra-
 ter mi, melius mihi fuerit ut tu huc

ascendas, & gulam tuam meæ succida-
neam hostiam laqueo præbeas; ego
vero causam meam ipse agam. Hanc
ego historiam quum animo mecum re-
putarem, licet indignabundus, vix risum
tenere poteram. Quid enim mihi salatii
adferre poterat publica furunculi igno-
minia? An propterea quisquam da-
mnum mihi erat compensaturus? Illud
quoque considerabam, quam ridiculum
sit ignominia à maleficiis velle deterre-
re eos qui jam dudum animum & fron-
tem ad omnem ignominiam obfirma-
runt? Mihi quidem Judices qui fures
& ejusmodi mastigias virgis cæsos aut
notis inustus civitatibus ejiciunt, dice-
re videntur: Homo nequam, satis tu
hactenus apud nos furtis & facinoribus
tuis grassatus es. nunc tempus est ut ad
alios te conferas, ibique artem tuam
similiter factites. Laqueus ejuscemodi
furciferis debebatur, non proscriptio:
quæ & olim & nunc etiam non modo
in immerentes, sed & virtute & glo-
ria præstantissimos viros cadere solet.
Demosthenis, Themistoclis, P. Ru-
tillii, Scipionis Nasicæ, Ciceronis, alio-
rum exempla notiora sunt quam ut
commemoratione indigeant. Quid A-
theniensium Ostracismus? numquid bo-
nis tantum & eximiis metuendus? Do-
len-

*De fu-
rum præ-
vis.*

lend
non
nis
Mer
non
per
tam
agili
judic
fuger
des &
nent
bus
quan
ergo
cujus
ating
erat
rent
cend
quam
faciliu
to me
ad rer
cludur
infra
festis
si non
dæ ve
in urbe
qui qu

lendum sane tervenificos, trifurciferos non alia fere pœna affici quam quæ bonis quoque viris sæpius infligi solet. Memini in civitate quadam vidisse me non minus justum quam ridiculum fere pœnæ genus. Civis erat cujusdam filius, *Egregium genus* tam furtificis manibus, tam singulari *numa* agilitate, ut ejus tanquam harpyjæ cujusdam unguis vix quidquam posset effugere: Sed quia fere omnes ejus fraudes & facta in iis quæ ad victum pertinent versabantur, inhumanum Judicibus visum est hominem morte afficere; quamvis sæpe sæpius recurreret. Collū ergo ejus ferreo incluserunt circulo, in cuius alte prominente cuspide ut manu attingere non posset, campanula appensa erat, cujus sono omnes ut furem caveant admonebantur. Hæc certe ad coercendos fures utilior mihi pœna visa est, quam qua ignoti ad ignotos, ubi multo facilius furari queant, mittuntur. Multo melius qui desperatæ salutis homines ad remos damnant, aut ergastulis includunt: quorum unum quale viderim infra tibi narrabo. Nunc etiam mani- *Injustitia* festis factis alibi non desunt patrocinia, *abusum.* si non desit pecunia. Sic plures in prædæ veniunt societatem. Novi equidem in urbe quadam lictorum magistrum, qui quoties argento opus haberet, (opus

vero habebat persæpe, ut qui aleæ valde
 esset deditus) ad forum ibat, ubi si quem
 notum furem vidisset, adibat, tristi
 vultu, caperata fronte. Roganti quid
 mali esset, aiebat opus sibi esse pecunia.
 tum ille paullulum abscedens, à sui simi-
 libus qui forum passim obsidebant, mo-
 mento quasi quadraginta aut quinquaginta
 colligebat scutatos; quos clanculum
 Cerbero huic tamquam offam ob-
 ciebat, ut grassantibus conniveret, aut in
 deprehenfos vel omnino non vel leviter
 animadverteret. Sed ad meum redeo
 furem: qui factum confessus, sed ejus
 in alium rejiciens culpam, per urbem
 virgis cæsus fuit & proscriptus: dum ego
 interim cubiculo meo tamquam carceri
 inclusus, paupertatem meam, in quam
 tam repente præter omnem opinionem
 decideram, deploro.

CAPUT V.

*Florentiam proficiscens Gusma-
 nus Sajavedram obvium in
 ministerium recipit. Floren-
 tiæ Descriptio.*

*Hospes
 cito fe-
 ces.*

DE hospitibus dici illud solet, *Qua-
 triduanus est. fetet.* quod quidem
 ego

ego in Pompejo quoque meo animadverti. Etsi namque fastidium egregiè dissimulabat, paulatim tamen alienior à me factus, rarè me adibat, adeoque à colloquio meo & consuetudine abhorrere videbatur. Quod si quando necessitas vel officium visere me cogeret, nihil nisi ceremonias & verba adferebat: quibus ego minime juvari poteram. Quod si non veritus esset ne actio sibi à me intentaretur (majori n. diligentia in asservandis amici rebus uti debuerat) facile credo cum convicio ædibus me ejecturum fuisse. Sed ut ego omnem dolorem, quantum poteram, dissimulabam; ne homo pauci precii viderer: ita illud quoque prævertendum mihi duxi, ne quasi invitum ex ædibus proturbatum me existimare quis posset. Quum ergo in cena dixissem; consilium mihi esse Florentiam proficisendi, miro gaudio exsultans, ea quæ ibi viderentur Naturæ & Artis miracula ita mihi deprædicavit, ut vel nolentem ad iter incitare potuisset. & ex illo quidem ad quævis officia promptiorem quam ante sensi. Sed & hic latebat hypocrisis. non multo post enim quum in familiari sermone inter alia dixissem, non esse mihi animum unquam Romam revertendi, ex eo tam frigide me tractabat, ut di-

Amicitia cum spe utilitatis perire

cere

cere mihi videretur: Quin abis actutum, homo importunissime. quem quidem & absentem ego colui, quod opera ejus ad Oratoris Gallici favorem conciliandum meaque apud illum negocia promovenda esset utilis. Nunc egentem & nunquam eò loci ubi gratificari mihi possit reversurum, quid attinet honore aut beneficio demereri? Hæc quum ego in fronte ejus quasi legissem, equum conscendo, homini valedico, non sine lachrymis, quum ille oculos suos exorare non posset, ut vel unam guttulam expuerent: & quamvis nescio quid triste in vultu & sermone vellet fingere, pellucebat tamen artificium. Sic ego solus viam in eo: nisi quod gravissimæ cogitationes, quarum una aliam ut fluctus fluctum aspellabat, me comitarentur. Vix pauca miliaria confeceram, ecce Sajavedram, qui Senis profligatus (is enim ipse fuit qui solus furti, ut dixi, pœnas dederat) exsilium adibat. Quem ut vidi, ira in misericordiam versa, lacrymas vix tenui: non tam maleficii (quamvis tum mihi sensus esset ejus acerrimus) in me commissi, quam pristinæ humanitatis & benevolentia qua me contra puerorum insolentiam & insultus tuendum suscepserat, memor. Nullum generosi ac magni animi

Beneficiorum memoria non debent oblitescere injuria.

animi certius est indicium quam injurias cito, beneficia nunquam oblivisci. Adequito, alloquor humaniter, ille ubi me novit, solutis quasi in lacrymas oculis, pedes meos amplectitur, per Deum & sacra omnia rogat ut ignoscam: simul gratias agens quod captivum non accusarim. Se vitam, quam mihi deberet, servitiis & commodis meis impendere paratum: jamque nexu & mancipio totum se mihi dare. Ego qui ingenium ejus acerrimum & ad quævis habile cōgnoram, sciebam insuper multarum regionum & urbium esse peritum: gratificari ipsi statuo. Et si enim nec illud ignorabam, furem esse astutissimum & omnibus in nequitiiis exercitatum: commodior tamen rebus meis videbatur quam crassum aliquod & simplex pecus. Huic enim hominum generi nihil quod loquantur vel faciant rectè credas. Et ego si ignoto res & spes meas credidissem, futurum forte erat ut ab ipso quoque deciperer. nunc quia Sajavedram nôrã, necessitas mihi erat imposita diligenter mihi prospiciendi ac cavendi. Dum sic iter unã facimus, & variis de rebus colloquimur, mirum est quanto ille me desiderio tam præclaram urbem videndi ac perlustrandi accenderit. Sole jam ad occasum vergente

*Deco-
ptus ne
nimium
fide.*

gente hospitium ingredimur, in quo Sajavedra diligenter admodum mihi ministravit; ego nihilominus id operam dabam ut ne equum mihi surriperet, aut quid aliud mearum reliquiarum involaret. Altero die primus urbis aspectus tanta admiratione me percussit ut via quamvis brevis, longa mihi videretur. Ubi in hospitium devenimus, nesciebam urbisne pulchritudinem & magnificentiam, an incolarum elegantiam & comitatem magis admirarer. Certè noctem illam totam somno suavissimo sine ulla cura exegi. quod quidem & bonæ cenæ & lecto perquam commodo acceptum refero. Hæc enim duo iter facientibus sunt exoptatissima.

Ubi diluxit, surgo, vestitum muto, & ad audiendum sacrum in primarium templum cum Sajavedra me confero; qui deinde me per omnes urbis regiones circumduxit, & quidquid visu dignum erat monstravit; ut qui ante ista in urbe anno & amplius habitârat. Sed quid si & ipse te circumducam, & sine tuo sumtu tam præclaræ urbis ostendam miracula?

*Floren-
tia de-
scriptio.*

De primis urbis hujus initiis post dicemus. Quantis verò difficultatibus avorum nostrorum memoriâ, quam gravibus bellis implicata fuerit Florentissima.

tistur
temp
cent
lia b
in P
gula
guu
cujus
Senas
bes,
cum
ut fol
infer
hanc
rant,
dia :
temp
jam e
Flo
flore
larum
esset p
Fluent
potens
lanis m
stum na
contenc
viris de
ut ipsu
Carolo
ex ruin

tissima hæc Respublica, superiorum temporum, Guicciardini inprimis doctent historiæ: donec Carolo V. in Italia bellum gerente, Cosmo Mediceo in Principatum fuit tradita, qui à singulari prudentia & rarâ fortuna Magnus Dux Hetruriæ fuit appellatus: ut cujus imperium, præter Florentiam, Senas etiam & Pifus, nobilissimas urbes, amplecteretur. Tanta vero Ducum horum fuit & adhuc est potentia, ut sola dignitate non uno Europæ rege inferiores esse videantur. Quinetiam hanc ipsam dignitatem jam impetrarant, nisi quorundam obstitisset invidia: cui quidem illi cedendum pro tempore censuerunt. Cæterum tempus jam est ut ipsam urbem obeamus.

Florentia, vulgo Firenze, vel ob florentem fortunam, vel florida incolarum ingenia sic appellata, ac quod esset præfluenti Arno apposita, olim Fluventia dicta, civitas elegans, florens, potens, ampla, & pene regia, à Syllanis militibus XC. annis ante Christum natum condita, Romanorum, ut contendunt nonnulli, colonia, à Triumviris deducta, à Totila Gothorum rege, ut ipsius Annales loquuntur, diruta, à Carolo Magno reparata, & amplificata, ex ruinis Fesularum. Florentia à Rudol-

dolpho primo Imp. libertatem emit pecunia, & Reipub. administrandæ XII. viros creavit, cum artium Prætor, ut ipsi nominant, Justitiæ vexilli fero. Rursus à Carolo Quinto, adjuvante Clemente septimo Pont. Rom. subacta, & Alexandro Medices, cui filiam Margaretam elocavit, concessa, cum Ducis titulo. Mediam perlabitur Arnus, quatuor pontibus stratus, tamque rapide fluit, ut adverso amne navigari haud possit. Hospitalia hic sex majora, minora alia XXXII. Ecclesiæ Parochiales XLIV. Cœnobiata virorum, quàm mulierum LXXVI. Collegia seu Fraternitates puerorum IX. totidem virorum vel etiã plura. Palatia hic infinita: Campi octo. Templum Cathedrale, cognomento S. Mariæ Floridæ magnificentissimum, & inter tria Hetruriæ nominatum, foris incrustatum marmore, albi, nigri, rufique coloris. Portæ à fronte tres sunt, ex quibus media sculpta, & cæteris ornator est, supra tamen rudis: tum aliæ duæ ab utroque latere: quatuor lata Sacella habet, alterum alteri præeminens adeo ut in modum crucis facta videantur, in quibus miraculo simile, quod sua dispositione sint stabilita: nullis enim pilis aut contignationibus sustentantur. Turri templi glob. æneus deauratus, XVI. fortasse

tasse
Turri
more
CCI
grad
Sace
anti
omn
lare,
Pilas
lumn
Alta
Sace
æne
cris f
Limi
reun
XVI
pta
fella
majo
porph
racen
Floren
Arx et
go della
magn
rius,
mis et
to, qu
quider

tasse hominum capax, impositus est.
 Turris quadrata templo proxima, mar-
 more tota incrustata, alta est cubitos
 CCLXXX. adscensus in summum per
 gradus CCCCVI. in altitudinē educta.
 Sacellum S. Joannis Baptistæ, opus urbis
 antiquissimum: olim Marti dicatum, non
 omnino rotundum, sed potius sexangu-
 lare, ex nigro, albo viridique marmore.
 Pilas habet sex, quibus singulis binæ co-
 lumnæ interpositæ viridis marmoris; ubi
 Altare summum est, aliud eminet veluti
 Sacellum, quatuor laterum. Portæ tres
 æneæ deauratæ, præclari operis, cum sa-
 cris historiis & imaginibus sanctorum.
 Limina item ænea, tectum marmo-
 reum, intus in orbe positæ columnæ
 XVI. totidemque pilæ, fenestræ XX. Sep-
 ta chori ex nigro alboq; marmore, tes-
 sellata. Apud portam, quæ est è regione
 majoris Ecclesiæ sunt binæ columnæ
 porphyreticæ, quas Pisani, parta de Sa-
 racenis victoria, honoris causâ miserunt
 Florentinis. La Citadella vulgo dicta,
 Arx est munitissima, in planitie sita, *Pal-
 go della signoria* vulgo dictum, foris eam
 magnificentiam non habet quam inter-
 rius, ubi statuis & picturis artificiosissi-
 mis est ornatum. ejus Turris fundamen-
 to, quod videri possit, non innititur, si-
 quidem sub ea ex omni parte conclavia
 cer-

cernuntur, & ob id in aëre pendere dicitur. Magnum Ducem tres habere Turres mirabiliter insignes in proverbio est, unam in aëre, de qua jam dictum: alteram sub terra: tertiam in mari. in hujus Palatii conclavi, vulgo Garderoba dicto, est thesaurus Principis, ex variis & innumerabilibus rebus preciosissimis constans, interque alia supellex mensaria ex puro auro. in eodem est horologium, in quo Sol annuo spacio, & reliqui Planetæ, quisque suum cursum justo tempore absolvit: ibidem videntur Tabulæ Geographicæ omnium ferè provinciarum, itemque multæ virorum illustrium effigies. Ante Palatium locus est, La Donana vulgo dictus, ubi merces deponuntur, item Fontana antiqua, in cujus medio Gigas est, curru triumphali marmoreo insidens, ejusque quadrijuges marmorei aquas evomunt. Ante portam est regis Davidis statua marmorea. In Foro (vulgo La piazza dicitur) est insignis statua equestris ænea Cosmi Ducis, insignis magnitudinis & artificii. Ex jam dicto Palatio, per contigua conclavia iri potest in ædificium, quod intra sua septa concludit aream. in hoc ædificio habent stationes omnium artificiorum magistratus, in inferiori contignatione, in superiori verò habet

habet Princeps imagines omnium nationum Principumque, & in his statuam Scipionis Africani: etiam Globum cœlestem immensæ molis & artis. hic quoque est Amphitheatrum inter media conclavia, ad imitationem veterum sumtuosissimè exstructum: circumcirca sunt multa conclavia, in quibus monstrantur res, quoad formam, tanti artificii, quoad materiam, tanti precii ut nihil supra, & quo ad numerum, extremæ infinitatis. in eorum uno monstratur clavus, cuius medietatem ex ferro, auream fecit arte Alchymistica nescio quisnā: in alio est effigies Magni Ducis Ferdinandi, supra quem est Speculū, in quo cernitur effigies magnæ Ducissæ. Haud longè hinc est Armamentarium Principis, suntque in tribus distinctis Cameris tanti artificii arma, ut vel ingeniosissimus hic videat quod admiretur. in altera hujus ædificii parte est Globus terrestris, sed adhuc imperfectus. Supra hoc ædificium horrus non contemnendus, inque ejus parte intrinseca, miraculi instar, conspicitur mensa Rudolphi secundi Imperatoris, quam artifices magno conducti, jam plurimis annis conficere cœperunt. Palatium vulgo de gli Pitti dictum, trans Arnū est. ejus fabrica numerari potest inter Italiæ magnificentissima. habet enim

enim conclavia ex marmore, aures in-
 crustationib. & laquearibus atque pi-
 cturis exornata. in hujus Palatii conti-
 gnationes omnes ascenditur gradu co-
 chlidis structuræ, quæ moles ex mar-
 more, nulli innititur columnæ, & vel
 subter vel desuper intuenti apparent ex-
 tremitates & circuli omnes æquissimi,
 quasi in puteum despiceres. Opus hoc
 est magni artificii & impensæ perma-
 gnæ, habetque à tergo hortum amœ-
 num in colle, & juxta castellum sive
 arcem novam omnium munitissimam.
 Belvedere dicitur. Tertia Arx, extra ur-
 bem in colle sita est; Castello Vecho
 dicitur. in ea Templum est sumptuo-
 sissimum, crustis & scalis marmoreis;
 suggestum vario marmore artificiosis-
 simè intessellatum est, fenestræ mar-
 moreæ. In Equilis principis atrio, sunt
 aves Indicæ, Apric icures, Cameli,
 Leones, Ursi, Tigrides, Lupi, Aquilæ,
 servantur locis ad id destinatis. La Stin-
 ca dicitur carcer publicus; Lofficio del
 honestà autem, locus, ubi duo cives
 senes, perpetui judices, causas cogno-
 scunt publicorum scortorum, eorumque
 qui lupanaria frequentant. Colonna del-
 la Iustitia vulgo dicta, notabilis est cras-
 situdinis, marmorea: in ejus fastigio
 est simulachrum justitiæ. La Cassina pala-

pa
 liur
 prec
 alur
 cur
 tur
 sui
 tun
 dina
 est,
 cum
 eam
 proc
 est n
 tiur
 est C
 ne: i
 pulu
 est B
 ptis
 septi
 illum,
 portar
 teros
 Terent
 affirma
 ipso Pe
 Caf
 Magni
 æstiva
 anceni

palatium est novum, asservantur expo-
 liunturque in eo omnis generis lapides
 preciosi. Ad mœnia urbis loco remoto
 aluntur complures Leopardi, omnes ci-
 cures, qui in sylvam vicinam emittun-
 tur, ut feras, lepores præsertim, pabuli
 sui causa capiant, domumque rever-
 tuntur, sed non sine duce. Hortus Car-
 dinalis Alexandri Medices spaciosus
 est, latus & elegans, in eo Linum Indi-
 cum complurium annorum spacio in
 eam excrevit altitudinem ut arborem
 proceram referat: juxta eam Sacellum
 est magnificæ structuræ, itemque pala-
 tium: In templo S. Laurentii sepultura
 est Cosmi Medicis cum hac inscriptione:
Decreto Publico patet patriæ. item Se-
 pultura Petri Medicis. Supra Sacellum
 est Bibliotheca excellens, ex manuscri-
 ptis libris constans, instituta à Clemente
 septimo Pontif. Rom. qui diris devovit
 illum, qui vel minimam schedulam ex-
 portare nititur. monstrantur inter cæ-
 teros libros manuscriptos Comœdiæ
 Terentii, quæ ipsiusmet manu exarata
 affirmantur: Item Virgilii Opera, ab
 ipso Poëta scripta.

Castellum Novum Viridarium est *Castellis*
 Magni Ducis Hetruriæ, cum Palatio, ubi *Novum.*
 æstiva est statio primogeniti ejus filii
 amœnissima, constans ex Hortis mira
 indu-

industria excultus : ubi videre licet fructus & plantas raras , tum omnis generis arbores , ut Cypressum , Laurum , Myrtum , Amygdalum , Citrum , &c. est denique Aquæductus insigniter artificiosus . nam primo Fons ibi est quasi triplex , altissimus , in cuius summitate collocatum est Herculis simulachrum , dextera manu puerum comprimentis , ut aquam copiose evomat . Circumcirca est area rotunda , aquarum aspergine insidiosa . Non procul ab hoc alius fons spectatur , cuius aqua ex capillis statuæ feminam veterem referentis defluit , dum ipsamet femina capillos omnes manu utraque quasi lotos siccandosque comprimit . Ibidem est rupes cavernosa , vulgo La grotta dicitur , in ea omnes omnis ferarum generis effigies , ut Cervorum , Leonum , Tigris , Elephantorum , Volucrum , quæ item desuper , & ab omni parte , aquas evomunt : certæ quoque venæ , ipsiusque cavernæ meatus aquam profundunt tanta arte , ut imber naturalis exactissimè repræsentetur , cœlo sereno , Sole radios in cavernam immittente . Iris artificiosa in co conspicitur , antequam ad cavernam pervenitur , ascendendi sunt aliquot gradus , qui perturati accommodatique sunt ad madefaciendos ex insidiis scanden-

den
ribus
strau
quas
yolen
lapi
in ca
strum
men)
tundu
magni
haben
quide
anim
futura
Un
summe
est ; C
dum e
videre
eleemo
cautos
re artis
habere
rudes ,
adeoque
quin Ce
merem
rentibus
est , mer
que reru

dentes. Collis quoque artificialis arboribus septis, adscensus lapillis minutis stratus, insidiosas habet aspergines, quas nec in ipso fastigio licet effugere, volente hortulano, è mensæ quoque lapideæ medio aqua profiliens, missis in canalem certis ad eam rem factis instrumentis repræsentat (successione tamen) modò facem ardentem, modo rotundum, modo oblongum, insignisque magnitudinis vitrum, suam intrinsicus habens cavitatem. Sed de his satis. quæ quidem talia & tanta sunt, ut quidquid animo conceperis, re ipsa multo minus futurum sit.

Unum non possum non addere, quod summopere mihi displicuit. Vulgatum est; Cuilibet perito in sua arte credendum esse. Idem de me hic judica. Quum viderem eos qui sub pauperum nomina eleemosynas passim colligunt, tam incautos, tam inconsideratos & omnis fere artis (artem enim hic quoque locum habere prima Pars te docere potest) rudes, non poteram non indignari: adeoque continere me vix poteram quin Censuram mihi in hanc tribum sumerem, & commodiora etiam non penitentibus traderem præcepta. Quæ ratio est, mendicum tantum panis aliarumque rerum mendicando acquiratarum

*Mendicanti
artis vitia.*

secum circumferre ut dici ei possit: Tibi in hanc diem satis est, cede egentioribus? aut scalpro dentis fodere, ut omnibus appareat tantum cibi sumsisse ut pars dentibus adhæserit: Hæc aliaque quum viderem, mirabar quemquam esse qui tam vecordibus mendicabilis quidquam largiretur. Quid absurdius quam mendicum certum habere præsepe? aut peculium palam præ se ferre? Et tamen, uti ego ipse meis oculis, plerique omnes opulentas faciebant prædas. Inter omnes unum vidi, olim mihi notum, cujus pater, avus, credo etiam proavus, atavus, abavus eandem artem factirârunt, cæteris multo instructiorem. Sed quia magistratum metu publicam ibi quasi scholam tam præclaræ artis nemini aperire aut habere licet: ineptias illorum mirari desii. Hunc Sajavedræ monstrans, Viden'tu illum? inquam. Huic quidem tantum pecuniæ superest ut divitem me facere possit. Ille: Cur ergo mendicat? Respondi: Postquam homines os vocemq; ad rogandum seu mendicandum assuefecerunt, frontem contra verecundiam obfirmarunt, manus à laboribus abstraxerunt, pedes ad vagandum condocescerunt, & ut verbo dicam, pudori nuncium remiserunt, in iis ad frugem reducendis

*Mendicis
divites.*

cendis frustra post omnis adhibebitur
 labos. Novi ego juvenulam quamdam,
 quæ quum paupertate, squallore, atque
 etiam morbo confecta Romam venis-
 set, ad mendicantium tribunal se adju-
 nit, non multo post morbo liberata, pu-
 gile habitior facta, quum nihilominus
 ostiatim stipem petere soleret, sæpe il-
 lud audivit, Ecquid puderet ista ætate,
 ista totius corporis firmitate mendica-
 re? Rectius facturam si laborando aut
 ancillando, victum sibi quæreretur. Re-
 spondit illa, occulto cordis sycopismo se
 laborare, quo correpta in terram pro-
 sterneretur, & terram manibus pedibus-
 que pulsans, & sua ipsius membra &
 quidquid nacta esset, conquassaret.
 Quin etiam ea edebat morbi hujus spe-
 ctacula, ut è largioribus eleemosynis
 laute ac jucunde viveret. Forte fortuna
 vidit eam aliquis popularium, qui nuper
 è patria ipsius venerat. Quid tu, in-
 quit, miserima sic mendicando alio-
 rum opem exposcis? Cur non domum
 actutum proficisceris? ubi in magnas di-
 vitias quas parentes fato functi tibi reli-
 querunt, ventura es. His auditis, abit il-
 la in patriam, & tam amplam heredi-
 tatem adit ut multi primarii adolescen-
 tes eam in matrimoniū expeterent. (ne-
 que enim ullum ferrum tam deforme,

*Mira
 narra-
 tio.*

O absur-
dam vo-
lupta-
tem

tam rubiginosum est cui inaurato species aliqua conciliari nequeat. non genus tantum, sed & formam donant divitiarum. auro omnia & animi & corporis vitia obteguntur.) Honorifico ad modum contracto matrimonio, post menses aliquot tota fere contabuit; frustra morbi causam veniente Medicorum natione: quam ipsa melius sciens, finxit, ad tanto facilius impetrandam peccatis ob quæ à Deo puniretur veniam, velle se inter extremæ conditionis homines elemosynas petere, iisque vitam sustentare. Quod ubi fecit, brevi corporis vires restauratas sensit, plerisque miraculum tam humili pietati adscribentibus. Quin tanta feminam hanc mendicandi lubido incesserat, ut sola in cubiculum secedens ab eorum qui ad parietes depicti pendebant hominum imaginibus, cum solitis gestibus & ceremoniis stipem posceret, & accipere se fingens, mirificam caperet voluptatem. Tantum potest consuetudo. Hoc quidem ut Sajaedræ tum mirum admodum ac pæne incredibile visum fuit, ita non dubito quin apud alios quoque vix fidem sit inventurum. Verum tamen esse nōrunt quibus femina illa nota fuit.

CAPUT VI.

*Florentiâ discedit Gusmanus.
Alexandro dicam impingnes,
in vincula conjicitur.*

ANnon mira res! Non obsessa erat
Florentia, quidquid ad victum per- *Ventri*
tinebat, abundanter in foro prostabat. *omnia*
ego tamen equum ab hero mihi dona- *cedunt.*
tum totum, quantus quantus fuit,
paucis diebus, atque etiam ipsas soleas
ferreas uno jentaculo absumsi. Quia
enim vendere me cogebat necessitas,
veteribus detractis soleis novas induci
curavi. Dicit profecto non potest quam
ægre tam præclara ex urbe discefferim:
tanto magis quod jam cum non paucis
meæ ætatis civium filiis familiaritatem
contraxeram, à quibus ad circulos &
conventus tam juvenum quam puellarum
deducebar: quamvis melius certe ab
ejusmodi congressibus, utpote tam sum-
ptuosus quam illecebrosis, abstinuissem.
Sed juvenis eram; & nihil juvenile à me
alienum putabam. Viribus valet ado- *Florentia*
lescentia, prudentiâ senectus. Repue- *vicia.*
rascunt quidem senes plerique: at in
paucis adolescentum videas senile ali-
quid. Nec ego me errare existimabam, si

ætatis meæ ductum vel potius impetum sequerer. Illud unum animo meo erat ægerrimum, quod tam charis heri mei donis propediem me privatum iri prospiciebam. Sed quid facerem? Aliud ad manum non erat. Et casus est in quo patri liberos nexui dare olim licuit. Roma digrediens illud unice animo meo propositum habui, velle me posthac frangi esse & in virtutis perstare semita. Sed quid profuit mihi tam bonas suscipere cogitationes, quarum B. Augustinus plenum ait esse infernum? Ecce vix digressus, quem herum quærere, ipsa momente necessitate, oportebat, seruum mihi adscisco. Sed imperare hactenus fuerus quomodo aliis parere poteram? Sic profecto mihi persuaseram, & forte persuaserunt, persuadent, & persuadebunt alii, nihil de pristino splendore remittendum. omnia tentanda potius quam à generositate desciscendum. Sed sero admodum errorem suum & insipientiam deprehendunt. Ad rem. Quid tandem me futurum esse considerans, Sajavedræ paulatim animum meum aperio, eo potissimum fine ut nesci quid postea à me secus quam putârat agi videret, tamquam ad phantasmatis occursum cohortesceret. Ait ille, quoniam mihi decretum esset discedere, utile

*Fus suū
persequi
an semper
utile.*

utile se mihi daturum consilium, quo res furto amissas proculdubio essem recuperaturus. Non longè abesse celeberrimam urbem Bononiam, ubi domum & magnas facultates habeat Alexandri illius pater, ad quem præda ferre omnis redierat. Et quia de ipso facto ex ea quæ Senis & Florentiæ facta fuerat inquisitione constet, facile me à magistratu impetraturum ut à patre Alexandri, si is absens sit, de damno mihi satisfiat. quinetiam tam honestam familiam minime passuram ut eo nomine querelæ ad magistratum deferantur; sed clanculum mihi quidquid poscerè contributuram, ne dispalescat infamia. Non absurde mihi loqui visus Sajavedra: Imus Bononiam. Suggestit Sajavedra, dispicerem num melius esset ut ipse in hospitio lateret, dum ego Alexandrum, quem certis mihi describebat notis, investigarem. Consilio hoc probato, solus domo exeo: jamque unam & alteram plateam emensus, Alexandrum video, non tam ex iis quas Sajavedra mihi indicârat notis, quam meis ipsius, quibus indutus erat, vestimentis agnitum. Stabat vero ante templi cujusdam fores, multis aliis juvenibus immixtus, qui (horribili sane impietate) non ad audiendum sacrum, sed ad formas

*Profana
impie-
tas.*

spectandas & subsannandos tam ingre-
 dientes quam egredientes eò convener-
 rant. Quid mihi tum fuisse putas ani-
 mi? Gestiebant pugni mihi scelerato
 homini non modo dentes excutere, sed
 & ipsam vitam adimere. Sed mecum
 cogitabam, melius fore ut à vivo sup-
 plicium, aut saltim damni compensa-
 tionem exposcerem, quam vitæ meæ
 ipse periculum crearem. In hospitium
 reversus narro Sajayedræ quid viderim.
 Pransi, consiliorum nostrorum ordimur
 telam; in plerisque titubârat antè Sa-
 javedra, ut qui furti non conscius mo-
 do sed & primus quasi auctor, pericu-
 lum timeret. Tandem visum utrique
 fuit, melius fore si cum tali præsertim
 homine amicè transigamus, quam ri-
 gida juris & justitiæ via procedamus.
 Utilior nempe passer est in manu, quam
 bos volans in aère: & melior tolerabilis
 transactio quam lata à iudice sententia.
 Quod ergo primum erat, quæro ido-
 neum aliquem qui Alexandri patri rem
 omnem enunciaret, & quidem eâ mo-
 destiâ, ut faciles aures præbiturum
 nihil dubitarem. Sed ille non modo
 non patienter hominem audire voluit,
 verum etiam magna ira exarsit, adeo-
 que conviciis ac pæne verberibus homi-
 nem à se abegit. O quam crudelem ego
 tum

*Timee
 male
 sibi con-
 sciis-*

tum vindictam utrique, patri & filio, animo machinabar! Sed vana est sine viribus ira. Adeo Jurisconsultum: & re totam sincere enarrata, consilium expeto. Respondet ille, Jam tota urbe notum esse Alexandrum, nec cuiquam hoc facinus in ipso visum iri incredibile. quamprimum in urbem rediisset, bene vestitus ac numatus, omnes judicasse, exuvias has esse alterius. Ecquod certius argumentum, quam quo vestes illas sui corporis modulo adaptari curasset? Tum tota urbe certum rumorem pervagari, aliquam prædæ partem ab alio quodam lavernione Alexandro subtractam. Dispicerem quid faciendum. Se quidem omnibus artis suæ subsidiis mihi subvenire paratum. Rogo ut actionis libellum mihi conscribat, quem præsentaneo redemptum precio judici statim tradidi. Sed antequam hoc fecissem, totius rei notitia ad patrem Alexandri sive percausidicum cujus consilio, sive per notarium cujus operâ utebar, dimanarât: qui è vestigio apud judicem me ultrò accusavit, ut qui totam ipsius familiam infamatum irem. O me miserum! hoc uno istu spes mea omnis non solum decollavit, sed etiam in desperationem & ærumnas versa est. Plurimum? immo omnia poterat apud Judicem

*Illecebræ
ad Pro-
cessum*

pater Alexandri. peregrinus ego eram, non amicis modo, sed etiam aliis præfidiis, sine quibus raro quisquam jus suum consequitur, destitutus. Terminum mihi præfigit Judex, intra quem testes & argumenta producerem, brevissimum: quamvis intellexisset, Senis furtum hoc factum esse, atque inde petendum quidquid ad probationem pertinebat. Sed agebat ille, hunc usitatum esse Juris processum, quem mei causa immutare nec velit nec possit. Sic ergo tamquam litis desertor damnatus, & ex actore reus factus sum. Pater namque Alexandri longissimo, intricato admodum & ambiguo, nec minus horribili libello me tamquam totius suæ familiæ infamatorem ad crudelissimum ignis supplicium poscebat, filium tamquam probæ vitæ non excusans modo, sed & laudans. Quæ quum legissem, facile intellexi non injustas esse querelas tribunalia seu Judices summæ injustitiæ accusantium. Nullum est telum calumniæ acutius: nec quidquam magis metuentum quam iniquitas & perfidia Judicis. Notorium quasi erat Alexandri furtum, nec Judicem latebat: probationibus ego sufficientibus eram instructus: sed quia favor & pecunia deerant, omnia deerant. Quid multa? dum fortunam meam

de.

*Sic de-
ces.*

de
bus e
Scrip
Sed f
cum
mih
conf
mod
mod
bant
aquit
mnia
olim
quam
suppli
non a
lomin
scrucia
vidi p
digna

Carce
inju
in
dis
Q
U
Q
cer
pescqu

deplorans per urbem oberro, à listoribus comprehensus in carcerem ducor. Scripto volebam causam meam agere; Sed subduxerat se Advocatus. nusquam comparebat Procurator. solus restabat mihi Notarius. Solabatur me quidem conscientia: sed quam miserum sit ejusmodi solatium, optem ut omnes ejusmodi Judices experiundo discant. Solabantur me quoq; alii, quibus causæ meæ æquitas perspecta erat; & ut patienter omnia ferrem hortabantur. Judicaturum olim Deum: & ejusmodi tam Judices quam judiciorum corruptores æternis suppliciis affecturū. Hæc taliaq; monita non aspernabar quidem ego; animi nihilominus interea miserum in modum discruciar. Tandem ubi curis nihil me vidi proficere, contemptu potius quàm indignatione de fortuna ulcisci me statui.

CAPUT VII.

Carcere liberatus Gusmanus de injustitia, quæ hodie multis in tribunalibus dominatur, disserit.

Quid tu? inquis. Tam injustè ad carcerem damnatus numquid jus tuū persequutus es? numquid eousq; in carcere

*Carcer
qualis
locus.*

cere mansisti donec tibi de injuria satisfaceret? Ego vero Judicis sententia liberatus, sine ulla mora carcerem valere jussi. Carcerem quum dico, ærumnarum omnium dico compendium: immò vivam inferni in hac terra imaginem. Quis inde non quamcelerrime se proripiat? quis boni aliquid ibi loci exspectet? non libertatem ego obviis ulnis amplecterer, quæ tam injuste mihi fuerat erepta? An non merito pejora metuerem cui tam justa causa tam male successerat? Ad id tamen mihi carcer profuit, ut dum illic desideo, varias res animo & cogitatione agitârim.

*Pœne
culpa u-
na impu-
tatur.*

Æsopus à Chilone interrogatus, quid Deus ageret, respondit, exaltare humiles, & deprimere superbos. Tunc quidem temporis ego sic mecum: O bone Deus! Cur nunc officium tuum (ignosce impatientiæ) non facis? Cur iniquos & fastuosos tam Judices quam Judicum corruptores non ad ima mittis tartara? Pœna mihi erat imposta. Culpam quomodo à me amolirer? Quis enim crederet, hominem in tanta dignitate constitutum, tanta virtute & scientia præditum, passurum ut aut amicitia, aut donis, aut timore à justitiæ abduceretur semita, & contra fas & æquum suamque ipsius conscientiam judica-

dicaret? Factū id in me sensi: & tam calida perfusus aqua, etiam pluviam posthac timere cœpi. nemo vel magna mercede me adegisset ut plateam in qua carcerem esse scirem, ingrederer, aut publicas præterirem custodias. Etiam *Offensus etiam tunc timet.* mulionum & agasonum forte occurrentium virgas metuebam. Ex eo sane tempore omne tribunal tamquam scopulum (atque utinam reorum modo, non etiam innocentium!) fugere, & vel ultro damnum pati quam jure experiri decrevi. Memini quum in carcere essem, adduci alium quemdam, accusatum quod pallium furto surreptum emisset. is cujus pallium fuerat notus mihi erat & amicus. Aiebat, non ignorare se bonæ existimationis esse hominem quem in custodiam duci curasset; nec se quidquam ab illo petere quam ut venditoris nomen edat. non de pallio tantum, sed multis quoque aliis rebus eodem furto à se amissis agi: quarum omnium recuperandarum spem inventum pallium sibi faciat. Suadebam *Cantis A. Sopi- cus.* ego ut recepto pallio, cetera missa faceret, alioqui verendum esse ne & illud, & reliqua omnia in Judicis, Causidici, Procuratorum, tabellionum venirent potestatem, ipse tamquam corvus hians deluderetur. Quod consilium aspernatus

tus, quum litem esset persequutus; emtor, probæ existimationis, ut dixi, homo, iudicis sententia absolutus; actori pallium quidem adjudicatum fuit, sed tum quum precio ejus triplo majores fecisset impensas; præter curas, cursitationes, temporis, atque inde rei familiaris jacturam. Quod exemplum eò adfero, ut ostendam non paucos esse qui voluntariè, leviculas sæpe ob causas, iudiciorum labyrinthis sese involvant. inde æquum est ut exedant quod sibi intriverunt. Quod si potentem nactus sis adversarium, quid aliud facis quam si viribus cum leone, urso aut tauro velis contendere? At jus tibi est. sit quoque unde sumtus facias. alioqui nihil ages; immò in damnum vigilabis. Hoc consilii ego litiganti dederim, ut iudicis librum seu chartam in auret, scribæ pennam ex argento faciat. dein in utramque dormiat aurem, nullo Advocato aut Procuratore opus habiturus: quorum munere vidi ubi ipsi iudices fungerentur. O nequam homines! Quem illo in iudicio vestrum putatis fore Advocatum? Sed longum hoc est, inquit. Longum forte: at certum. Non placet etiam quod & alibi & in plerisque Italiæ civitatibus vidi fieri, ut scilicet nudæ ferantur sententiæ, quum præ-

*Cum
majore
vols con-
sendere.*

præ
infer
partit
quem
tate
cem,
fente
non
litgan
bus ip
ret. A
monit
Prove
futura
mend
lucrum
me ne
fenti I
ter co
quam
Sed
tis cum
quid fa
quam m
facit inju
injuriam
multis n
juriis.
Commis
te podo
tiam exc

præcipuas saltim caussas cur ita latæ sint
 inferi vel addi oporteret: quo & ipsis
 partibus & cuius, maxime vero ad
 quem forte provocatur Judici de æqui-
 tate tanto facilius constet. Novi Judi-
 cem, qui accepta pecunia pro mercatore
 sententiam tulerat admodum injustam,
 non alio fine quam ut pars adversa à
 litigando absterrita, cum adversario qui-
 bus ipse vellet conditionibus transige-
 ret. Ab amico de sententiæ iniquitate
 monitus, respondit, Parum referre.
 Provocatione enim interposita non de-
 futuros superiores Judices qui eam e-
 mendent: se quidem præsens ac certum
 lucrum ob incertum litis eventum mini-
 me neglecturum. Ecce errorem in Præ-
 senti Indicativi, ut ita dicam, enormi-
 ter commissum, sed nauci habitum:
 quamvis, pæne dixerim, furca dignum.

*O augu-
 stiam
 conscientia-
 m.*

Sed jam ex ipsius Philosophiæ decre-
 tis cum litium amatoribus agam. Num-
 quid satius est unam perferre injuriam
 quam multas? Quando Adversarius tibi
 facit injuriam, unus facit, & tu ab uno
 injuriam accipis. quam si velis ulcisci,
 multis multorum obnoxium te facis in-
 juriis. Primo enim fieri potest ut in
 Commissariū incidas qui omnem fron-
 te pudorem, omnem animo conscien-
 tiam excusserit: qui ex eorum sit nume-

*Perfer
 unam
 injuriã
 ne plu-
 res.*

io qui quum ad eiusmodi munera pro-
moventur, ad aureum messem se pro-
ficisci existimant. Jam quid ego de li-
ctoribus lictorumque magistris dicam?
Novi in urbe Granatensi unum, qui
duos dentes habebat exemtiles, quos ubi
vellet, gingivæ inserebat aut demebat,
tum ungue digiti è gingiva sanguinem
exprimebat, si quem forte nactus erat
cui male vellet, aut à quo prædam spe-
raret, asperiora ultro ciens verba, mox
clamabat vim sibi factam, dentes excus-
sos: sicque etiam innocentes, nisi in car-
cerem abduci vellent, pacisci secum co-
gebat. & quamvis fraus hæc plerisque
nota esset, fidem tamen inveniebat.

*Causidici
qui qua-
ter.*

Quid de Advocatis seu Causidicis di-
cam? quam difficilis ad hos accessus!
quam morosa alloquutio! quanta spor-
tularum frequentia! Ubi causam eis nar-
raveris, agent statim æquissimum esse
quod petere intendis. Si causa cadas,
velle se libros suos comburere. Cadis.
nec tamen illi libros comburunt, aut fo-
rum deserunt, sed jam hoc jam illud
caussantur: etsi non raro ipsi vel sua ne-
gligentia vel sua ruditate reum perdide-
runt. O quam multi cruda adhuc ingenia
ad Jurisprudentiæ studium propellunt!
Quam multi Digestis insudant qui vera
Latinæ linguæ fundamenta nondum di-
gesta

gesta habent! quam multi caudices Codicemvolvunt & revolvunt! Sed doctissimo Thuldenio materiam hanc relinquo, cujus libellus seu Disputatio De causis corruptorum Iudiciorum & Remediis sub prelo jam gemit. Sed quid juvat bonum habere Advocatum, nisi faventem quoque habeas Judicem? At faventem vix unquam habebis, nisi donis & muneribus aggerendis adversarium vincas. Quod si ab ordinario ad superiorem provocas, cui (ut in Hispania, & alibi) nihil omnino à quoquam accipere licet, periculum tamen tibi erit ab affectibus, quibus transversi plerique rapiuntur. Et vero quid ipsorum interest, si ve tu vincas si ve vincaris? si ve virgis cædaris, aut in furcam agaris? Pœnam quam tu, ipsi non sentiunt. dolor tuus nihil ad illos pertinet. Putant se deos esse in terris. domi agunt quod volunt. publice coluntur, timentur, & tantum non adorantur. Tene illi curent? in ipsorum manibus salus & perditio tua sita est. Absolvent te aut damnabunt prout affectus aut amicus eis persuaserit. Hispali memini fuisse Judicem qui reo multam pecuniariam imposuerat, è qua ducenti scutati in fiscum inferrentur: *Hem* quam quum solvere non posset, *sententiam.* miserum ad remos damnavit, hac conditio-
ne, ut

*Quales
Judices.*

ne, ut exacto in tam miserabili servitute decennio, in eundem unde eductus fuerat carcerem reductus ad patibulum publice suspenderetur. Ad me quod atinet, existimem rectius facturum fuisse Judicem, si prius suspensum, inde ad remos damnasset: eodem modo quo inepto pictori, velle se domum suam dealbare, & postea depingere dicenti, quidam suasit, ut prius eam depingeret, inde dealbare. Sunt Judices qui etiam quum de fortunis & capite aliorum agitur, quæcumque in buccam venit sententiam pronunciant. Quod si vel collega vel alius quis suam interponat auctoritatem, & mitius cum reo agendum statuat, in convicia etiam & blasphemias, tamquam gravissime læsi erumpunt. Jam tu tecum ipse dispice, satiufne sit injuriam condonare, quam tantis cum laboribus, sumtibus & periculis justuum persequi. Sed dices: egone patiar ut injuria affectus, ludibrio me quoque exponam, & ut nullius animi homo etiam ab ipso deridear adversario? Equidem novi quam difficile sit tolerare injurias. tu vero tecum cogita an ab uno vel à multis derideri malis. Si injuriam dissimules, ridebit forte qui fecit. Si velis ulcisci, ridebit quisquis tot tantisque sumtibus fumum (quid enim aliud

*Contem-
tus opti-
mum ul-
tionis
genus.*

alio
à te
in p
dens
& st
fact
rum
men
tu cu
Crea
meli

Guy

n

n

C

navi
fluct
mui a
mo, S
tur: r
cessit
hoc n
viden
Ille,
agam
illud

aliud sunt Jurisconsultorum promissa?)
 à te emtum viderit. Si ergo me audis,
 in pace vive. melius quippe est ut pru-
 dens ac patiens, quam vindictæ cupidus
 & stultus habearis. Quid tibi dictum aut
 factum quod tam indigne fers? Si ve-
 rum tibi quis dixerit, tibi imputa. Si
 mentiat, sine illum mentiri. Tanto
 tu cum periculo mendacium ulcisceris?
 Crede mihi, nulla re injuriæ ejusmodi
 melius quam contemtu vindicantur.

CAPUT VIII.

*Gusmanus chartarum lusu da-
 mnnum suum refarcit. Bono-
 nia Mediolanum proficiscitur.*

C Arcere, ut dixi, egressus, tam-
 quam è naufragio enatâssem, non
 nauseavi tantum, sed & velut mediis in
 fluctibus multos dies postea simul tre-
 muï ac timui. Tandem recollecto ani-
 mo, Sajavedræ, Quid, inquam, tibi vide-
 tur? nonne pulcre admodum nobis suc-
 cessit nostra negotiatio? numquid in
 hoc mercatu præclarum fecimus lucrū?
 viden' tu quid iis fiat qui sua repetunt!
 Ille, Video, inquit, domine. Sed quid
 agamus ubi his moribus vivitur? Unum
 illud animo meo ægre facit quod hujus
 mali

*Consilia
 non ex
 eventu
 asserman-
 da.*

mali caussa & origo ego fuerim, qui consilium de rebus furto ablati repetundis dedi. Sed homo proponit, Deus disponit. Mihi quidem tam sinistri eventus culpam nemo imputaverit. Non tuli diutius deprecantem, sed, Noli, inquam, mi Sajavedra me rerum humanarum tam imperitum existimare, ut omnia eventa nobis luenda existimem. Bonus erat consilii tui scopus: at sinistrum eventum nos & Alexandri patris malitiæ & Judicis iniquitati, vel potius ipsi fato seu fortunæ adscribemus. Quid enim? si quis lapide stulti manu ex improvise projecto occidatur, an tu illum imprudentiæ damnabis quod ictum non providerit quem providere non potuit? Hæc dum loquimur, diversorium nostrum ingrediuntur exteri duo, cive quodam comitati, qui ad chartarum lusum, ut statim apparuit, sese provocârunt. Proximum meo cubiculo conclave erat, ejusmodi exercitiis accommodatum. in quod quum illi se recepissent & mensæ appositæ assedisent, ego paullulum spacitatus, similiter sessum me recipio, tamquam ociosus spectator. Et ex illo quidem certamine, pares fere suam quisque sortem servabant. Ego interim quamvis nulla omnino mea res ageretur, non sine cruciabili sol-

*Nil
fere sine
affectu à
mortalibus
agitur.*

folli
mis
do i
prio
mar
qua
nor
deri
tioni
omni
num
mina
cant
Et ja
quoc
enim
fuit:
ulla
& ho
est,
quoc
mus.
parte
vanten
diantur
tur qui
nec fri
molest
mea tu
tus? A
parata

sollicitudine ludentes spectabam. inprimis vero uni bene volebam, ac si quando ille lucraretur, non minus quam proprio meo lucro lætabar. En miram humani ingenii naturam! Ego tam illum quam reliquos ante neque videram neque noram: & tamen ad hunc illius pecuniam deriyari cupiebam. Æquius sane & rationi magis conforme futurum fuerat, omnibus ex æquo favere. sed in hominum ingeniis occulta sunt quædam semina, quæ ad similia sui facile se applicant: contraria fugiunt & aspernantur. Et jam quidem non possum non meam quoque damnare curiositatem. Quid enim mihi in aliorum chartas inspectio fuit? aut si inspicere volui, cur non sine ulla perturbatione adspexi? Nimirum & hoc à primæ nostræ labis contagione est, quod non contenti propriis, aliena quoque onera humeris nostris imponimus. Videas unum è fenestra aut alia parte vicini ædes diu noctuque observantem, ut scire queat quinam egrediantur, quid importetur, quid exportetur. Et hoc dum faciunt, nec frigoris, nec caloris, nec insomniæ molestias sentiunt. Sed tu, mi homo, mea tu, quid aliena curas, tuorum oblitus? Apage te ex hoc loco. cuique sua parata sunt adversaria. Quid observas?

quod

Curiositas sibi ipsi nociva.

quod tu imaginaris ibi fieri , forte fit ,
 forte non fit. peccatur forte , forte non
 peccatur , & forte illi quos observas non
 peccant , sed tu. Quid ad te ex omnibus
 illis molestiis quas tota nocte corycæus
 in specula stans percipis , lucri redit ?
 Quid si id ipsum videas quod nequa-
 quam videre cupis ? Quid honoris ex i-
 psiis tu accipies infamia ? Quod si tam in
 commodum & honorem alterius quam
 damnium & ignominiam tibi vigilan-
 dum esset , scio te minime facturum.

*In ma-
 tum pro-
 cesi.*

Quod si ipse ille vicinus tuus te maxi-
 mopere orasset ut nocturnos fures ædi-
 bus ipsius insidias facturos observares :
 quid quæso sis responsurus ? Nimirum
 illud , Custodiendam (ut puerilis monet
 Cato) suam cuique rem. nolle te valetu-
 dini tuæ alterius causâ periculum crea-
 re. nec forte absurde. Quid ergo in da-
 mnium & injuriam alterius vigilare su-
 stines ? Quanto melius fuerat , te dum quæ
 foris geruntur observas , domi tuæ cir-
 cuire , & quid ibi ageretur explorare ?
 Ipsos ego qui ludunt quam qui lulum
 aspectant minus sæpe peccare existimo.
 Qui ludit lucri causâ ludit : ad quod ar-
 ripiendum duo aut bini inter se , omni-
 bus ingenii viribus configunt. & quam-
 vis tuam rem periculo exponas , non mi-
 nus tamen ei conservandæ invigilas. In-
 primis

primis vero id tibi persuade (certe persuadere debes) posse tam facile fieri ut tua tu perdas quam aliena tua facias. Sed ad rem. Malicia hactenus fuerat in Iusorio nostro mari. At mox intumescere cœperunt fluctus, & jam hujus jam illius navem ad brevia & scopulos deferre. Quem adversantis fortunæ ictum quum is cui ego savebam perferre non posset, tanta indignatione exarsit ut nihil omnino recte atq; ex disciplina faceret, aut fortunam arte corrigeret, sed quotiescunq; res male successisset, oculis irâ scintillantibus infortunatissimum se exclamaret, ac miris gestibus animi proderet impotentiam. ex quo factum est, ut parvo temporis momento tamquam naufragus, nudus ad litus fuerit ejectus.

De lusibus, quinam liciti sint, qui illiciti, anne & qui viris gravibus convenient, disputare hic nolo. hoc tantum moneo, ut si ludis, ludas, id est, animum ita componas ut etiam adversanti fortunæ possis illudere. quod fiet, si plus non perdas quam perditurum existimaris: quidquid vero lucri accesserit mutuo tibi datum putes. At bono illi, ut postea intellexi, vix alterum tantum quantum perdiderat, ex omnibus facultatibus reliquum erat. & hujus quidem inopia tum lusui finem fecit: ita tamen ut alter

R

alte-

*Non-
sunt do-
mi aut
dor-
miunt.*

alterum rursus in eandem arenam pro-
vocârint, condicta post cenam hora.
Interea bonus ille quum frustra pecuni-
am foris ab amicis & notis quæssisset,
domum redit, non tam collusoribus
penes quos numos suos videbat, quam
iis qui alienos ei credere volebant ira-
tus. quin etiam ipsam civitatem tam-
quam infelicem, & cives omnes tam-
quam latrones ac proditores infamabat,
dejerans nec se cuiquam posthac vel
obulum velle credere. Hæc quum ille
manibus tabulæ sæpius illis detonuis-
set, (quæ ego facile audiebam, quod cu-
biculum meum ipsius esset proximum)
in lectum sese provolvit: in quo tamen,
identidem surgens, ne momento qui-
dem quievit. Ego ad Sajavedram: Scis
quo loco res nostræ sint. Quod reliquum
nobis est, vix paucorum dierum sumti-
bus sufficit. Quid si semel omnem jacia-
mus aleam, ut vel Cæsares simus, aut ni-
hil? Nescio quæ me lubido incessit cum
illis qui post cenam in lusoriam rursus
arenam descensuri sunt, configendi. Et
quamvis ipse animus bonū mihi spon-
deat eventum; multum tamen è re no-
stra fuerit si fortunam arte adjuvemus.
Hoc consilium miris modis laudans
Sajavedra, ait, quidquid constituierim
facere, sive bonum illud seu malum sit, se
mihi

*Vilitas
animi
non pro-
denda*

mihi præstò futurum. inde ultro sugge-
 rit, se tanquam astutum exploratorem
 hostiles copias pervagaturum, earum
 vires, numerum, & quidquid ad victo-
 riam scire expediret, mihi significatu-
 rum. Hæc audiens, præ lætita vix apud
 me eram. Gratum erat quod ipse ultro
 ad servitium parum honestum sese ob-
 tulisset, quod ego sine existimationis
 jactura ab ipso petere non potuissem.
 Satius mihi erat ut ipse animi sui vilita-
 tem proderet, quam ego. Inde inter nos
 disceptatum quibus signis ad noscendas
 hostium vires (chartarum puncta) ute-
 remur. Tandem placuerunt nodi thora-
 cis, & digitorum articuli, quomodo do-
 ceri solet Musica: facto etiam bis, ter,
 quater periculo, ut signa illa mihi cer-
 tiora essent quam quæ ipsa voce fiunt.
 Interea venerant collusores illi, apposi-
 tæque mensæ affederant, quum ego ro-
 sarium tanquam Eremita quidam reli-
 giosus manu ferens, per conclave obam-
 bularem, Sajavedra vero in cubiculo le-
 ctum mihi curaret. Quum ludendi fa-
 ciendum esset initium, quæritur tertius
 ille omni argento suo paullo ante emun-
 ctus, ex omnibus notis & amicis ne unū
 quidem à se inventum qui vel pauxil-
 lam pecuniæ summam sibi vellet crede-
 re. Quod si verbis suis fidem habere vel-
 lent,

*Laver-
 nionum
 artes.*

lent, paratum se nomen facere, & fide optima exsolvere. Ibi alter conditionem detrectare dicere, semper se dum sic luderet, infeliciter luisse. Jam jam illis discessuris, accedo ego, & Quamvis, inquam, lusibus hujusmodi non valde delecter, nec valde multum sit unde id faciam: ne tamen tam bonus cœtus re infecta solvatur, ego si vestrum utrique placet, in tertii illius locum succedam. Jam illi me tamquam recentem turdum laqueis suis irretitum tenebant, jam prædam inter se partiebantur. Hæc ego tacitus animadvertens, tunicam nodis resolvo, ut catena aurea quam collo appensam gestabam, conspici posset. Unde illi magis fuere accensi. Argumentabantur enim, me utpote juvenili sanguine adhuc præservidum, amissis numis, etiã quidquid haberem pigneris depositurum. Accepta conditione, Sajavedram inclamo, ut si quos à me haberet numos adferret. allatis, Sajavedra in cubiculum secedit. Procedente lusu, iterum Sajavedram inclamo. quum venisset, Ergo, inquam, nos ipsi candelas emungemus? An tibi in cubiculo tantum est negotii, aut dormitionis, ut tam bonæ societatis ministerio vacare non possis? Ille humiliter admodum gestu, tacitus, candellam emungere, & tam ad meum quam aliorum

*Assuetus
luforio.*

rum

rum nutum sese sistere. Et sane impossibile erat ullam fraudem in eo deprehendere, ut qui ne semel quidem oculis me adspiceret, nec manum umquam à pectore moveret. Licet vero digitorum ipsius quasi vocem optime intelligerem: non tamen semper occasione utebar, sed ultro sæpe è manibus mihi elabi patiebar eousque etiam ut ex meo pecore aliquid nonnumquam ad illorum transiret stabulum: quod tamen mox retrahebam, ne damnum meum ludibrio quoque augetur. Ubi vero animadverti lusum ad finem jam decurrere, remis velisque contendi ut quantum possem ad me converterem. Et tum quidem puto alterum tantum me lucratum quantum illi antea lucrati fuerant. Id ægre ferentes, insequentem diem me ad eundem provocant lusum. Veniunt, ludimus, quum triginta circiter scutatos perdidissem, altercorum, Finem faciamus, inquit. Et ipse lætus quasi assentiens, Placet, inquam. Quod si placebit, cras aliquanto temporius incipere poterimus. Sic boni illi turdi inescati, sequenti die ad eamdem aream devolant: marsupia aureis numis plena in mensam effundunt, & ad me, Ecce, ajunt, domine miles, hos omnes ad servandum tibi promptos. Respondeo, quamvis tantas divitias nunc quidem in

arca mea forte non haberem ; quidquid tamen esset , non minus vicissim ipsis paratum. Incipimus ludere varia , ut fieri solet , fortuna. tandem omni mea arte & tacitis Sajavedræ usus monitis , brevi ambos quingentis circiter scutatis emunxi. Sed nihil mihi erat gratius , quam quod uterque ludendi captus tædio ultro missionem in præsens flagitabat : sic tamen ut crastino die fortunæ quisque suæ rursus faceret periculum. Digressis omnibus , Sajavedræ , Minime consultum mihi videri ajo crastini diei fortunam rursus experiri : quam etiamsi quasi certam haberemus , verendum tamen esse , ne multatam illi tam opimo bolo fraudem nobis alia via struerent. quapropter recte facturos si summo mane in viam nos demus.

CAPUT IX.

*Sajavedra in itinere Vitæ suæ
historiam Gusmano narrat.*

BONONIA digressi , Mediolanum magna celeritate contendimus. nec quiescere poterat animus meus , quamdiu Bononia oculis meis apparebat : sive quod periculum quod mihi licet innocenti paullo ante ibi creatum fuerat ,

*Offens
etiam
tuta ti-
ment.*

scu

seu aliorum facinorum conscientia me
 terreret. Sic ergo uterque pisce magis
 muti iter facimus, cogitationibus quif-
 que suis occupati. Mihi hoc unum erat
 in votis, ut myopaxonem meum satis
 opulenta præda onustum in tutum ali-
 quem portum deductum viderem. at
 Sajavedræ animum, ut mihi ipse po-
 stea narravit, illæ cogitationes torque-
 bant, Quid de meo ingenio & mori-
 bus sentiendum: quid &, quantum de
 lucro ad se rediturum esset. Tandem
 ubi aliquanto longius jam progressi era-
 mus, Sajavedræ dico, non minus stul-
 te videri mihi eos facere qui in viâ seu
 itinere nihil, quam qui in foro multa
 gariunt. Quin tu ergo, inquam, mi
 Sajavedra, narras aliquid quo viâ tæ-
 dium fallamus, & præteritorum labo-
 rum obliuiscamur. Ille oblatam sibi oc-
 casionem gaudens, Equidem luben-
 tissime, inquit, facturus sim quod pe-
 tis, si prius scire possim, an lucri illius
 tuis quidem auspiciis, sed non sine
 opera mea acquisiti particeps aliquo
 modo futurus sim. Nam etsi eam ma-
 xime ob causam, ut flagitium meum
 utili aliqua opera expiarem, me tibi
 quasi nexui mancipioque dedi, de te ta-
 men illud mihi promitto, nequaquam te
 opera mea plane gratuita usurum. Ego,

*Comæ
 facun-
 dus in
 viâ pro
 vehiculo
 est.*

mi frater Sajavedra, inquam, quod factum est, infectum fieri non potest. Nemo hominum est quin aliquando impingat & labatur. unus hic, alius alibi. non tu solum, sed ego quoque erravi. Quis fuerim novi; non quid me futurum sit. illud ego experior, Necessitatem asperam quidem, certissimam tamen esse vitæ nostræ magistram. O quam durum est illud: *Si non tu volumus, saltem ut possumus!* Scis quò redactæ fuerint res nostræ. Quod nos fecimus, crede mihi, fecisset quisvis alius. non nego, à furti infamia fraudem hanc parum abesse. Sed ego, ut quidem tum res meæ se habebant, nulli marsupio, etiam patre & matre orbato, si vel mille habuisset scutatos, pepercissem. Quia ergo facile intelligis nullas mihi ex India argento aut præciosis mercibus onustas redire naves, nec Fucarorum mihi opes esse, non mirum tibi videri debet si videas me artibus parum forte apud superioris notæ homines laudatis utentem. Suadet hoc non venter modo, sed & ipse honor. ego enim vel pessimo letho perire malim quam quidquam de status mei decore remittere. Gallico quidem Oratori à puero fere servii: non tamen quod parentibus meis non esset unde me alerent; sed ut in rebus maximi momenti exer-

*Pauper-
tas male
suada.*

exerc
alicu
quò m
quam
comr
quis
est.
Justi
Capit
peccat
tis con
nume
vice d
parar
ab or
mnis
tur, p
mos
agunt
arte
tu pu
pliciu
Quid
tis in e
tiis se
xtu per
quod a
rati,
mihi
velle
tia; sic

exercitatus, ipse quoque dein Principum alicui utilem possem præstare operam, quò magis mihi enitendum est, ne quidquam meo genere & statu indignum committam. Suo quisque lucro, suis quisque commodis augendis intentus est. in quo multa sæpe incidunt quæ à Justitiæ semita aliquantum aberrant. Capit qui potest capere. soli infelices peccati pœnam ferunt. Si tu luculentioris commatis fur esses, ex eorum puta numero qui multa aureorum millia una vice depeculantur: & favorem tibi comparare, & ipsum jus emere tibi posses, ab omni tutus periculo. at quorum omnibus nequitia circa minutias consumitur, parvi, inquam, illi furunculi ad remos damnantur, aut etiam in furcas aguntur: non quod furati sint, sed quod arte sua parum scienter usi sint. Et quot tu putas malefici alicujus spectare supplicium qui illo longè sint digniores? Quid quod ipsi Judices sententiam mortis in eum ferunt quem malitia & flagitiis seu latenter seu specioso sub prætextu perpetratis longè antecedunt. Ad me quod attinet, mihi animus est nihil mirari, nullam ob rem indignari. ut alter mihi sonuerit, ita ego saltabo. Quod ais, velle te firmiter in mea hæere amicitia; sic tibi persuade, eam tibi nec fasti-

*Faves
inequa-
les.*

dio nec damno fore. eo sum ingenio ut
 merita recte æstimare, atque etiam pro
 re nata remunerari possim. Ut vero
 mentem meam intelligas, sic habe. E re
 utriusque nostrum mihi videtur ut
 quidquid vel acquisitum est vel in po-
 sterum acquireretur tres in partes dividatur,
 quarum una tibi, altera mihi cedat.
 tertia vero utriusque usibus & necessita-
 tibus seruiat; atque instar sanctioris sit
 ærarii. Id quidem tibi promittere ausim,
 si ut hætenus ita porrò operam mihi
 impensurus sis, intra paucos annos tan-
 tum prædæ te confecturum ut honori-
 fice Valentiam in patriam tuam profici-
 scisci queas. nec operam tuam circa ne-
 scio quas quisquilias, in quibus compa-
 randis hætenus desudasti, occupabo.
 Lucrosiorem nos exercebimus negocia-
 tionem, & minus periculofam. En pa-
 ratam tibi tertiam partem: quam è ve-
 stigio tuis consignabo manibus. Deus
 faxit ut bene ac feliciter ea utamur: &
 reliquum navis nostræ cursum ita mo-
 deretur, ne vel in scopulos impingamus,
 vel in piratarum manus incidamus. Di-
 ci vix potest quam alacrem tum Sajave-
 dra se exhibuerit. & quamvis par mihi
 esset, famulus tamen meus esse gaudebat.
 nec sane ego hominem consiliis meis
 aptiorem invenire potuissem. Jam er-
 go

*Passum
 inter
 Gusma-
 num &
 Sajave-
 dram.*

go omni posita diffidentia, Quia, inquit, spero æternam hanc inter nos fore amicitiam, totius vitæ meæ cursum aperte ac simpliciter tibi narrabo. Vulgatum est, tribus tantum veritatem dicendam, Confessario scilicet, Advocato & Medico: ego vero multo magis æquum esse puto ne amicum aut contubernalem quidquam celemus.

*Quibus
dicen-
dum ve-
rum.*

Patria mihi est civitas Valentia. Parentes habui inter Patricios non postremæ nobilitatis, mediocriter opulentos: quarum nomen forte in Hispania audivisti, Frater mihi fuit major natu æque infortunatus. Sed quid ego fortunam accuso? Imprudentia fuit & juvenilis ferocia, qua uterque abrepti, post parentum mortem res nostras male administravimus. Quum ergo paucis annis magnas opes dilapidassemus, utrumque desiderium invasit exterarum regiones perlustrandi, & honoris ac commodorum materiam alibi quærendi. Quia vero peregrinantibus facile aliquid finistri poterat accidere; nequid in familiæ nostræ redundaret ignominiam, uterque nomen mutavimus. Frater quidem meus Latinæ linguæ apprime peritus, initio Joannes Martinez dici voluit: mox Joannem in Lugianum, & Martinum in Matthæum mutavit, Mat-

*Sajave-
dra vi-
ta.*

*Juveni-
lis im-
prudēt-
tia.*

thæus Lugianus appellatus. Quid illo tandem factum sit, nescio; nisi hoc tantum, Pererrata Castilia & Andalusia, ubi male fuerat tractatus, in Indiam navigasse, nec ego quidquam postea de ipso inaudiui. Ego diversam insistentem viam, Barcinone in Italiam navigavi, & brevi tempore quidquid domo meum tuleram, in victum impendi. Tandem Neapolim ire cogito: cuius urbis splendor & amœnitas adeo mihi fuit deprædicata, ut quoad possem morari ibi constituerim. Brevi tempore in Lavernæ schola ita profeceram, ut paucos haberem pares. Quibus tamen omnibus artibus tantum acquirere non potui ut olus mihi esset unctiusculum, aut honestior paullo vestitus. Et quamvis, ut dixi, habilitate ad quævis furta & facinora nemini cederem; quia tamen adhuc eram juvenculus, molestissima aliorum qui inter hoc hominum genus regnum affectant imperia tolerare sum coactus. Horum omnis opera circa hæc consumebatur, quod dum regnum pervagamur, ostiatim circuibant, quærentes: Hicne habitat Titius? Hicne Mævius? An opus habet vestra Dominatio famulo quodam? An emere vultis aliquid mercimonii? Et quidem ad prætextum hunc commode usurpandum

*Cave
Canem.*

sem-

semper aliquid à nobis ante aliis surreptum & ita reconcinnatum ut agnosci non posset secum circumferebant, & pro novo vendebant. Nonnunquam in stabula irrepebamus, ubi fere semper aliquid erat quod onustiores discedentes faceret, atque adeo ne habenæ quidem, si equisonis aut aliquod aliud pallium non compareret, aut capistrum aut lora, aut strigiles nostras effugiebant manus. Quod si forte ante rem confectam superveniret quis, solutis ligulis in angulo aliquo tamquam ventris, onus dejecturi in talos confidebamus: nec conviciantes deprecabamur, sed necessitatem excusantes, inclementiam miseros homines tam immerito excipientibus exprobrabamus. Etiam ipsas ædes nonnunquam ingrediebamur, obvium quodcumque involatur, deprehensi ante furtum, lachrymabundi stipē postulabamus. Ecclesias, Conciones, Processiones singulari cum devotionis specie frequentabamus; ubi quanto major erat populi concursus tanto certior nobis & copiosior erat messis. Quin si integrum quid, quantumcumque vile, auferre non poteramus, dependens aliqua à veste lacinia, aut è sinuoso volumine acutissimo resectum cultro frustum, in prædam cedebat. nec quidquam erat

*Astutia
Picariorum
ca.*

*O Hypocritarum
crisis.*

quod non esset usui. Si quando ad mercatum, aut aliam aliquam solemnem panegyrim proficisceremur, tanto licentius per rusticorum casas vagabamur quanto minor erat aliis operibus occupatorum cura! In primis mirabili arte gallos, gallinas, capones in ipsa terra piscandi artem tenebam, & non minus scite quam sedulo exercebam. ea si non successisset, carnario insidias struebam: quæ raro admodum fuerunt irritæ. Tandem quum illo ipso tempore novus Prorex Neapolim venisset, nobis quoque eò properandum existimavimus. Quid multa? ipsius primi diei negociatio ita mihi successit, ut honesto me amicerim vestitu. quod quidem postea ad multas res fuit perutile. Socius mihi erat, qui famulus quondam fuerat Regentis de Consilio Callaterali (sic vocant) qui ut in urbem venimus, statim ad pristinum herum & patronum se contulit; quem agnitum ille non humaniter solum excepit (fideliter enim servierat) verumetiam quidquid ipsius causa faceret, facturum se promissit. nec promissit tantum, sed & reipsa præstitit. Neque enim fieri potest quin si mensæ sæpius assideas & è catino sumas, labra unctiuscula referas. nec fieri potest, quin si malitiarum hoc transeas

pela-

Panegyres furibus luerosæ.

En de generem.

pelagus, Christophoro aliquo indigeas
 qui labra tibi abstergat. Sodali meo pa-
 tronus statim negocia quædam, in qui-
 bus paullo honestior occupare se pote-
 rat, demandavit: sub cujus comitatu &
 protectione nos tanquam sub alis late-
 bamus, nec quisquam erat qui contra
 nos vel hiscere auderet. Ejus nos moni-
 tis omni in re utebamur: quæ imprimis
 ad id proderant ut sciremus ubi timore,
 ubi confidentia opus esset. Die quodam
 quum nullum fecissem operæprecium,
 & puderet me tanquam fucum ad præ-
 sepe inanem reverti, ædes primarii cu-
 jusdam civis magna confidentia non
 aliter ac si meæ essent, ingressus sum.
 Audieram enim vulgatum proverbium,
 Timidum chirurgum numquam bo-
 num esse. idque ipsum in Hispania pue-
 ris caute ac tarde incedentibus acclama-
 re solent: *Anda, anda, que parece, que vas
 à hurtar, id est, ambula confidenter, ad in-
 star ejus qui furatum it.* Versis in omnes
 angulos oculis, femineam video vestem
 holosericam mensæ impositam. ubi tu-
 ta omnia animadverti, sublevo vestem,
 & sub sinistro condo brachio. ecce ve-
 ro in ipso domus limine patrem fami-
 lias mihi obvium: à quo rogatus quid
 ibi haberem negotii & quid portarem,
 vestem monstro, ajo, sartorem me esse,
 & à

*Audacia
 furibus
 convenit.*

& à matrona accersito reconcinnandam mihi vestem datam esse. ille, Bene, inquit. Tu vide ut propediem illam tua manu, ut iussit illa, reconcinnatam referas. quum ille jam limen scanderet, dicto citius ego me proripio, & plures gyros quam hirundo per plateas maxime averlas faciens, in noto stabulo prædam depono. Hujus rei spectator socius meus mihi narravit, paullò post heri ingressum audisse se totam familiam tumultuantem, quæ nimis sero vestem ablatam senserat, tum accurrentem patrem familias, animadverso errore suo; risui fere quam indignationi propiorem, ministros undiquaque per plateas circummisisse qui furem perquirerent. Sed jam ego evanueram. In festinatione tamen ille me ita notarat ut postea posset noscere. In aliis ædibus simili omnino modo deprehensus, occurrenti quoque paullò extra limen ædium domini, & quid egissem, quid ferrem roganti, respondi, portare me nescio quid mearum vestium, quas argentaria circumventus inopia apud danistam vellem deponere. ille indignabundus, Ergo tu, inquit, homo insulsiſſime ædes meas à danista habitari putasti? Apage te nequam, cum tuis centonibus. Quod quidem ego sedulo feci; non meis, sed ipsius cen-

Sero plerumque furca deprehenduntur.

centonibus onustus. Erat vero mihi aditus quoque ob ejus quem dixi hominis familiaritatem, in Comestabilis palatium: ubi aulici singulis noctibus lufum in multam usque noctem producebant. Quatuor stabant eo in conclavi mensæ, fericis stragulis opertæ, & binis candelabris argenteis instructæ. his ego jamdiu insidias struxeram: quæ tandem successerunt. Curaveram mihi duo ejusdem omnino figuræ & magnitudinis candelabra è stanno fieri: quæ mecum ferens, in angulum aliquem, dum lusus fereret, secedebam, omnibus me è ludentium ministris aliquem esse creditibus. Quadam nocte duo ludentium in una mensarum quum deficiente candelâ novam rogassent, nec quisquam præter pedisequum in angulo stertentem præsto esset, accurro, & candelabra foras portans, argenteis in saccum conditis stanneis candelas impono, sicque in mensam restituo. inde cautissime tamquam feles è columbario me subduco. ne vero furtum dispalesceret, tam hæc quam alia alibi à me sublecta vasa argentea in unam massam conflavi: quam duci & antesignano nostro tradidi, sine periculo aut suspitione (erat enim homo bonæ existimationis) vendendam. & precium quidem ille tam mihi quam

O assuetissimum nequam.

*Etiam
fides in-
ter la-
trones.*

quam aliis optima fide reddebat, sibi ta-
men servata quinta parte, quæ sanctius
quam ullum Indicarum mercium ve-
ctigal ex omnibus nostris proventibus
solvebatur. Et quidem apud hunc ta-
bulæ accepti & expensi asservabantur.
ac si quando ipse numis opus haberet,
singuli quantum vellet contribueba-
mus: quod ille postea optima fide red-
debat, multum in eo nequissimo illi A-
lexandro dissimilis, qui omne fere com-
modum ad se derivabat, quum pleraque
omnia nostro maxime agerentur peri-
culo. Sic vero inter nos constitutum fue-
rat, ut dum alteri furtis vacant, alteri
eventum diligenter observarent. Quod
si fiebat ut quis in ipso furto deprehen-
sus esset, alter ille tamquam bos in mise-
rum incurrens, clamabat: *Quin tu ne-
quissime quod furatus es restituis? &
unum vel alterum impingens colaphum,
Quin tu sceleratissime, ait, quantocyus
ex oculis nostris discedis. quem ego, si
hosti hac videro. Et plerumque circum-
stantes hunc pro honesto habentes ho-
mine, qui singulari pietatis zelo hæc ita
diceret ac faceret, etiam manifestarios
fures ita dimittebant. Quod si, uti non-
nunquam contingebat, aliqui essent qui
comprehensoſ tenerent, non tam facile
dimissuri, accurrebant alteri ex nostro*

grege,

grege
centes
furem
facis,
me in
autem
furem
gnis
effugit
si per
centem
bant,
seraba
multu
per tur
quã sta
velut c
bantur
palmam
quod t
giport
nos sub
modis o
scilicet,
calamo d
die, du
deo in ri
cens lot
servante
illa ut y
bram se r

grege, & precibus primum agebant, dicentes: Quin tu, vir optime, nequã hunc furem, prius probe depexum, missum facis, cui à licitoribus comprehenso, fame in carcere moriundum erit. ecquid autem id tibi proderit? inde in ipsum furem conversi, nihil reluctantem pugnis ac pedibus impetebant; interim effugiendi viam quasi aperiebant. Quod si pertinacior aliquis ne sic quidem nocentem amitteret, de industria rixas ciebant, ac velut globo facto, manus conferebant; ex quo fiebat ut major tumultus minorem sopiret, reus interim per turbam elaberetur. Etiam nonnunquã statim in pedes nos conjiciebamus, velut cursu cum iis qui nos persequabantur, contendentes, ac fere semper palmam auferentes. Nam præterquam quod timor pedibus alas addit, per angiportus & viarum anfractus facile nos subducebamus: Quid multa? Tot modis officium nostrum, Lavernionum scilicet, faciebamus, ut vix cujusquam calamo describi queant. Quadam autem die, dum extra urbem obambulo, video in ripa fluvioli mulierem lintea recens lota & soli ad siccandum exposita servantem. Maximus erat æstus, quem illa ut vitaret, sub proximæ arboris umbram se receperat, plane (neq; enim me vide-

*Serius,
oculus
semper
malefici
cur punitur.*

viderat) secura. Dum illa sub arbore jacet, adrepro, & indusia aliquot, et nondum sicca, convolvo, sicque non animadversus non fugio quidem, sed tantis passibus abeo, ut illa suspicata quod erat, recensito velut manipulo, absentes facile deprehenderit; meque magno cum clamore persequi cœperit. Pergo ego quasi illud nihil ad me pertineret, ire viam meam; mature prædam è manibus in viam demittens. Sperabam namque mulierem recuperato quod amiserat, quieturam. At illa tum demum multo horribilius vociferari, deos hominesque in auxilium vocare. quo clamore vicini tam homines quam villatici canes excitati, acerrime & ipsi me persequuntur, pueri inprimis aliquot valentuli, quid circumventum me undique suæ potestatis fecerunt. ex eo sane tempore gentem hanc minutam, quam semper antea contemseram, timere cœpi. Hæc narrante mihi Sajavedra, in mentem mihi venit quod Madriti evenit. Homo ibi erat vino ita deditus, ut quotidie fere è tabernis ebrius (quod non ita frequens in Hispania spectaculum) prodiret. Quodam die dum ebrius titubante gressu in publico ambulat; ecce magna puerorum caterva à tergo insequens ructanti non verbis modo,

*Etiam
pueri ti-
mendis.*

illu-

illudit, sed latus quoque fodit. Ille com-
 modum tandem locum nactus, tergum
 muro obvertit, & arreptis aliquot lapi-
 dibus, Satis, inquit, ò boni, officii caussa
 me comitati estis: proque hac comi-
 tate vobis ago gratias. Sed jam moneo
 ne nimis sitis officiosi. Hoc loco ego
 terminum vestro conductui statuo:
 quem si transieritis, has ego & quos-
 cumque alios apprehendero lapides in
 occursum vobis mittam, longiusque
 vos comitabor quam vos me comitati
 estis. Pueri ubi illum seriò hæc dicere
 & agere viderunt, statim dilapsi sunt.
 Idem si Sajavedra fecisset, expeditet
 sese forsitan. Sed ad rem. In hoc tu-
 multu (pergit Sajavedra) lictores super-
 veniunt; in carcerem me abducunt. De
 sinistra mea fortuna ego Capitaneum
 meum edoceo: qui me quid dicendum,
 quid faciendum, quam diligentissime
 instruxit: deinde Notarium seu Pro-
 curatorem accessit, dicens: Parentes
 meos in Hispania nobilissimos jamdiu
 sibi notos. verisimile non esse tale
 delictum à me commissum. quod si
 tamen, (uti non crederet) commissum
 esset, necessitati, quæ miserum pre-
 meret, & fami condonandum. Reculas
 esse nullius fere precii, quæ jam in ve-
 rum dominum redierint, ea me esse ge-
 neris

*Evadit
 sepe ma-
 leficius:*

neris nobilitate, quæ tam levi delicto merito veniam impetrare debeat. Nec prius destitit causam meam agere quam à Judice ut dimitterer obtinuit. Sed ô me infortunatum! Jam pedē alterum carcere extuleram, quum ecce infauftis avibus occurrentem mihi illum ipsum à quo supra in holoserica vestis furto deprehensum me dixi. erat vero is præcipuæ auctoritatis Actuarius; & tum quidem uni è captivis liberationis adferrebat sententiā. Ubi me vidit & diligenter contemplatus est, Non ego te novi, inquit, pessime nequam! ecquando tu vestem holosericam reconcinnatam à te refers? *Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsi.* Ille magno impetu me in carcerem retrudit, & custodi ut diligenter me asservet mandat. Quam genus hoc ad ejusmodi imperia promptum sit, experti nôrunt. Reducor, & compedibus manicisque constringor. post dies aliquot, cognita mea causâ, sententia multo asperior in me fertur. Qui indusiorum causa in carcerem conjectus eram, sine indusio, vel potius ad umbilicum demisso, educor, & virgis cæsus urbe ejicior. Sed nosce hic quorundam faintitatem. Si Actuarius ille mecum pacisci voluisset, facilimum mihi fuisset furtum restituere. nunc ego verberibus, ille damno

*Sed in
eosdem
recidit
casses.*

*Furum
brabeja.*

dan
nec h
lista h
ni, ibi
cilim
amici
mam
monf
lentas
quam
repor
veher
pœn

Saja
la
d
ej
m
con

Hæ
a
mus.
tos ha
injecer
numqu
Credet

damno non mediocri fuit multatus. nec honori ipsi mea fuit infamia. Relicta hoc modo Neapoli, Bononiam veni, ibique (pares enim cum paribus facillime congregantur) cum Alexandro amicitiam contraxi : cum quo dein Romam profectus, ejus consilio, & demonstratione cum sociis multas luculentas prædas feci : inter quas & illa fuit quam de Vestræ Dominationis peculio reportavimus, cujus quidem facti me vehementissime pœnitet, & æternum pœnitebit.

CAPUT X.

Sajavedra Mediolani in popularem quemdam suum incidit, mercatoris ministrum, ejus ductu & suggestu Gufmanus astutissimum furtum committit.

HÆc dum narrat Sajavedra, jam ad urbis fere portas processeramus. mihi vero dici non potest quantos hæc Sajavedræ historia scrupulos injecerit ; qui deinceps animo meo numquam penitus eximi potuerunt. Credere non poteram homines nobili

*Generosi
ad infamiam
non de-
mittunt.*

bili prognatos genere ad ea flagitia procedere quib. & ipsi & maioribus extrema confletur infamia: imprimis ut furtis sese obstringant. Duo sunt homini imprimis necessaria, Res, & Honor. Et quamvis proculdubio Honor omni Re preciosior sit; sic tamen existimo qui Rem alteri rapit, Honorem quoque simul auferre. Tanti enim quisq; fit quantum in re habet: qua amissa, mox vilior eris projecta alga. Sæpe illud mecum considerabam: si Sajavedræ à parentibus tantæ opes fuerunt relictæ, cur miser tam infami se dedit flagitio, furto scilicet? Cur pannosus, famelicus per summa vitæ pericula sic oberrare, quam domi inter cives quietus & honoratus vivere mavult? Qui malum faciunt, faciunt boni alicujus consequendi gratia. at dum malum patimur, nulla boni vel umbra sese ostendit. In alteram partem sic mecum cogitabam: Forfan puer admodum, ut & ego, parentes amisit; aut à tutoribus (quod non raro fit) bonis eversus est. Mox ad primas rediens cogitationes sic ratiocinabar: esto verum quidquid de suo genere Sajavedra dixit. Cur ubi ad id ætatis venit ut bonorum & malorum sciret delectum, consilium ac vitæ consuetudinem non mutavit? cur non potius Martis quam Lavernæ signa sequutus est? Sed etiam

*Malefici
merito
suspecti.*

ad

ad hoc mihi ipse respondebam: Cur tu quoque, mi Gufmane, ad sanio- rem non redis mentem? cur honorem tuum seu existimationem infamibus artibus sustentare pergis? Cur non tu quoque militari- bus manipulis adscribi te pateris? Damnas in altero quod in te tibi placet. At militiæ labores & pericula te absterrent. Quasi vero suum vita non multo majoribus periculis & æ umnis sit obnoxia. Equidem vix omnes Jurisconsultos tanta in medium Consilia allatu- ros puto quantis bono furi aut la vernioni opus sit. nam valde erras, si non & hic certos dignitatis, scilicet, gradus esse existimas. Æmulatio certe non minor est quam inter vel eruditos vel opifices. Ex iis quæ ex Sajavedra au- dieram, ipse quidem cum fratre suo parvulus aliquis Delphino adnatans pi- sciculus; ex iis autem quorum mihi eram conscius, ego balæna mihi vide- bar. Occupabantur illi circa furta rerum fere nihili: idque sine ulla fere arte, nisi quæ furum propria est, factitabant. ne- sciebant forte *Plus ultra* esse. Almo- naci (qui pagus est Toletanti regni) communi sumtu linter aqualis, in quo jumenta potum caperent, factus fuerat. Quum unus diceret nimis altum, alius, nimis depressum esse; prætor loci ipse

*Laver
nonnum
arces.*

S

acce-

accedens, inclinato corpore quasi periculum commodæ fecit aquationis; sicque duos aut tres passus retrocedens, Profecto, inquit, nihil amplius est quod caussari quisquam possit. Quia enim ego vasis labrum commode possum attingere, nulla etiam alia bestia, puto, erit altera quæ eodem pertingere non possit. Sic sunt quidam, qui ubi factum aliquod vel audiunt vel vident ingeniosi ab hoc vel illo factum, eandem dexteritatem de se sibi promittunt: quibus tamen id dici posset quod alius quidam rusticus ex eodem pago dixit; ubi quum duo inter se de certo quodam jumento contenderent, utrum mula esset vel equa, accedens tertius, & jumentum diligenter contemplatus, tandem arreptis & utrique monstratis auribus longioribus, *Hic*, inquit, tam certo est asinus quam pater meus. Qui fur esse vult, operam det ut sit cum honore; nec ad vilia se demittat; quales sunt qui res nihili aut certe non magni precii passim sublegunt, deinde nihilominus ad patibulum ducuntur. Et hujusmodi quidem ubi ad primipilares venerint, in extremis habentur, nec ad tribum admittuntur nisi tributum solyerint. His idem dici possit quod Chiapinum Vitellium magni nominis ducem dicere solitum ferunt:

Qui

*Ridiculus
lū rustici
dictum.*

*Fures
tribu-
bures.*

Qui merces suas non novit, optime fecerit si tabernam claudat. Ad me redeo : qui etsi prioribus annis nemini in arte hac cefferim, jam tamen longa desuetudine eam dedidicisse mihi videbar. Optimus omnium rerum magister usus est seu exercitatio: sine qua etiam splendidissima ingenia quasi rubigine obducuntur.

Mediolanum ingressi ego & Sajavedra triduum fere in hospitio nos continuimus. Pruriebat quidem mihi ludendi desiderio animus : sed verebar ne inciderem in homines de Militia, qui semper ludunt cum Malitia. & fieri poterat ut prærogativa quam Sajavedræ dexteritas ante mihi subministraverat, uti non liceret, illis alia uti liceret. Dum quodam die lustrata magna urbis parte, in foro obambulo, video juvenem vultu & habitu nescio quid alacre simul & modestum præ se ferentem ad Sajavedram accedere, & mutua facta salutatione satis longum sermonem miscere. Statim animo meo injecta fuit suspicio in me measque sarcinulas nova cudi consilia : eoque diligentius omnes eorum gestus observabam. intervenire ipse nolui, ne suspicionem meam proderem, aut colloquium illorū seu consilia, quæ nesciebam obfutura an profutura mi-

*Militia
lusus.*

hi essent, turbarem. Quod si illo sine me vidissem abeuntes; jam ante viam mihi ad hospitium compendiosiore prævideram, qua utrumque præverterem. Sub prandii tempus, abit alter ille juvenis: ad me reversus Sajavedra ne mutit quidem. unde suspicio mea valde fuit aucta insidias mihi meisque fieri sarcinulis. Est quidem suspicio instar radentis vermis, qui animum, ut teredo lignum, exest: nec facile in aperti & sinceri animi hominem cadit. Si tamen ingenium fraudulentum hominis perspexeris, nihil yetat quin nihil ipsi fidas. *Metuo Danaos & dona ferentes.* Sileo & ipse tandem vero continere me non potui quin Sajavedram interrogarem, ecquid hominis ille esset quicum in foro constitisset & colloquutus esset. Videri mihi Romæ à me visum. Numquid, inquam, Mendoza ei nomen; Ille, non Mendoza ait, sed Aquilera vocatur. & sane rapax admodum & ad omnem prædam sagacissima est aquila. Fuit is non ita pridem nostri gregis. Litteras pingit scite admodum. arithmetices etiam est peritissimus. Ut verum fatear, grande ille mihi persuadere voluit facinus, non brevibus Gyaris tantum & carcere, sed & Tarpejo saxo dignum. Narravit mihi qua occasione & quo sine in hanc urbem venerit.

nc

*Suspicio
quando
justa.*

*Aquilera
qua
qualis.*

ne autem interea dum consiliorum suorum senatum convocat, tamquam vagabundus lavernio deprehenderetur, collybistæ, seu usurario, seu mercatori mavis (hodie enim confusa hæc nomina) operam suam addixisse, jamque annum & eo amplius, fideliter & ad heri gustum præstitisse; non alio fine quam ut tamquam mulus septennis, ubi occasio se tulerit, calcibus vel herum vel quemcumque alium impeteret ac profterneret, sicque aufugeret. Petiit insuper à me ut socium me adderem; multa proponens quæ luculentæ prædæ spem faciebant. Sed nihil mihi placebat, duas potissimum ob causas; & quod præsentia mea sorte omnino contentus essem, ut meliorem vix optare possem: & quod in mutando vitæ statu seu conditione cautissime ac non nisi rebus omnibus ad amissim pensiculatis procedendum esset. Parva præda utrumque parum juvare poterat; luculentæ exigua spes erat. nam & vix quatrimum latere, effugere vero non facile poteramus. & certum erat in deprehensos supplicium. Et licet uterque multa ex tempore à nobis excogitata in medium adferret, nihil tamen erat in quo possem acquiescere. At ubi finis consequendi nulla spes est, principia temeraria sunt, media frustra-

nea. Sic ergo à me ille discessit, ipso etiam monente tempore: ut qui herone tantillum quidem, uti semper hætenus, in mora esse vellet. Non omnem Sajavedræ hic sermo mihi exemit scrupulum: quamvis vero non omnino dissentaneus mihi videretur. Sumto pallio cum Sajavedra per urbem aliquantulum obambulo. in hospitium inde reversus, ne verbo quidem ejus quod dixerat Sajavedra mentionem facio: totus eam in curam ne os mihi sublineretur, incumbens. In meis Argus eram: in eo quod Sajavedra mihi de Aquilera dixerat, Ulysses, varias animo machinationes agitans quibus operæ precium aliquod fieri posset: certus tamen nullam aquam ingredi nisi vado prius bene tentato & explorato. Stultorum est ob exiguum lucrum, magnæ jacturæ subire periculum. Quid enim ego totas noctes curis & machinationibus insomnes transigam ob vilem aliquam rem, cujus acquisitæ precium vix unam in cenam sufficiat? Quia ergo suspicabar posse nobis Aquileræ operam maxima afferre emolumenta, domum reversus ad Sajavedram, Tu inquam, (totus enim cogitabundus sedebat) vix apud te esse mihi videris. ita te forte mercatoris illius cui Sajavedra servit, pecunia sollicitum habet.

*Etiam
mali
gaute
proce-
dunt.*

bet. Equidem ejusmodi inventionibus seu machinationibus Archimedi non cessero: si modo aliquid esset in quo utiliter talis opera collocari posset. Quid, inquit ille, utiliter? Parumne videntur tibi viginti ducatorum millia? ut de pannis aliisque mercimoniis nihil dicam. Ergo non mirum, inquam, quod curas tuas in rem tantam jacias. Sed quid invenisti? An machinā aliquam habes quam tam dives oppidum expugnemus? Ille, Nihil admodum, inquit, quin etiam quanto magis cogito, tanto minus video. Quoniam igitur res tanta est, inquam, quam partem mihi dabit si ego utile aliquod consilium invenero, quod voti compōtēs nōs faciāt? Domine, ait ille, & ipse & mea omnia jamdudum in tua sunt potestate, de quibus pro arbitrio tibi licet disponere. Ad Aquileram quod attinet, cum ipso agendum est: nec dubito quin facilem se præbiturus sit. Abi ergo, inquam, & quære hominem, & ut quando commodum fuerit, ad me veniat roga. Cave autem ne quisquam te cum illo loquentem videat. Postridie condicto loco venit ad me Aquilera: è quo etiam minutissima quæque ad heri personam pertinentia exquiro: inprimis quantum auri & argenti, & cujus monetæ, ubi, & in quibus loculis haberet.

*Merces
laborē
par sis.*

*Aquile-
v. s. hiffo
ria.*

Ille sic exorsus est: Animadverto, domine, mei apud Dom. Vestram à Sajavedra factam esse mentionem. De me vero sic habe: Genus mihi plebejum: pater, nauta. In paupertate nato ingenium tamen ad quævis habile mihi Natura largita est, quod puer ad scribendi & computandi artem applicui. Adulescens inde cum æqualibus aliquot exterarum adii regiones, variis artibus victum quærens: ubi interim nonnulli è nostro grege Justitiæ litârunt: cui ego quoque ceu non minus merita debebar hostia. Sed servatus Dei benignitate, quum ante annum & paullò amplius in hanc urbem venissem, operam meam diviti quidam mercatori locavi: qui ante quatuor circiter menses omnes Rationum suarum libros meæ permisit curæ, ærarii vero claves solus ipse in sua habet potestate. Et fateor non semel à me initas rationes quibus opimo aliquo boluminem possem emungere; sed periculi metu hætenus fuisse deterritum: quod tamen subire non detrectem, si magnum aliquid & diu profuturum patrandi detur occasio. Cogitationem hanc meam Sajavedræ revelavi, ut eum quasi Achatem mihi adsciscerem, quem olim nôram ad ejusmodi negocia maxime idoneum & quasi à Natura factum:

Etum : eoque ubi me accersitum vidi ,
 magnam spem opulentæ prædæ sine
 magno periculo ex herili agro agenda
 concepi. Quod ad heri mei facultates seu
 divitias attinet , scio ego (vidi enim & *Hæc
 scilicet
 recte
 credas.*
 quotidie video omnia) plusquam viginti
 ducatorum millia possidere. Numi qui-
 dem binis ferreis cistis inclusi sunt. &
 ante paucos dies idem tria scutorum
 millia in sacculo quodam nigris macu-
 lis distincto recondita earum alteri in-
 tulit : inter quos scutatos nullus omnino
 est simplex , sed omnes vel dupli vel
 quadrupli. & hi quidem eò à reliquis
 seclusi sunt , quod nescio cui alteri mer-
 catori summam eam feneri dare consti-
 tuerit. Sed intelligo illum conditiones
 detrectare, quæ sunt, ut ipsa usura, quæ
 enormis admodum est , ex ipsa summa
 in antecessum detrahatur ; tota vero
 summa in obligatione exprimat, his
 verbis additis , *Gratis præstari.* Quid de
 illo ego dicam? Homo est unus omnium *Avari
 & usu-
 rarii
 omnibus
 exosi.*
 maxime toti Civitati , ob immodica fe-
 nera & varias alias fraudes exosus : &
 certò scio neminem esse qui non male
 factum ei velit. Nomen deinde ho-
 minis , ædes , tabernam , capsularum in
 quibus pecunia asservabatur notas, alia-
 que omnia tam dilucide indicavit ut in-
 rem præsentem me duxerit, & singula di-
 gito

gito quasi demonstrarit. Rogavi, an clavium posset habere copiam. Facile, respondit Aquilera, ut quæ eidem quibus ceteræ claves annexæ essent catenulæ: quas omnes non raro sibi traderet, ad expromendas merces & reliqua quæ in diem viderentur necessaria: tunc tamen, ut qui & avarus & suspiciosus sit, nusquam avertere oculos priusquam reddantur, verentem scilicet ne scrinia expilentur. Jussi ergo ut ante omnia clavium quas vellem formas ceræ impressas ad me perferret. illud restabat, ut constitueremus inter nos quid & quantum ex tot illis bonis esset involandum; ea adhibita cautione, ne id nimium esset, ut quod tam facile expediri non posset; neque etiam nimis parum, quod non multum utilitatis esset allaturum. Commodissimum visum fuit arietem ad eam capsulam admoveere in qua tria illa de quibus supra dixi, ducatorum millia asservabantur: quæ inter tres æqualibus portionibus dividerentur. Illud unum mihi. curæ erat ne magno me committerem periculo, sed furtum hoc ita patrarem ut, præter utilitatem, etiam honori esset. Quod ut tanto lubentius facerem, Sajavedra & Aquilera sic mecum pacti sunt, ut tertia pars prædæ integra mihi cederet; deinde reliquæ duæ par-

*Nec ni-
mium:
nec pa-
rum.*

tes æqualiter inter nos dividerentur. Accep-
tis ab Aquilera formis, claves mihi
fieri curo: de quibus Aquilera quam dili-
gentissime nos edocuit quæ ad taber-
nam, quæ ad scrinia pertinerent. Eidem
dixi, velle me postero die herum ipsius
accedere. arrigeret tum aures, & verba
mea diligenter notaret, ut ex iis deinceps
consilia quoque sua moderaretur. simul
rogavi, ut quotidie sub vespertinum cre-
pusculum certo loco ad nos veniret.

Sequenti die ad tabernam merca-
toris me confero, & audiente Aquilera, hæc fere cum ipso loquor: Esse
me Nobilem Hispalensem. ante paucos
dies certorum negociorum causa in
urbem venisse, quæ ante nuptias quas
jam tractarem, maxime expedita vel-
lem. attulisse vero mecum tria circiter
ducatorum millia. diversari in hospitio
maxime frequenti. & licet claves ejus
capsulæ in qua numos illos meos repo-
sitos habebam mihi datæ essent; vereri
tamen ne alii earum similes haberent;
sicque aurum illud mihi surriperetur.
Monitum autem esse à quibusdam ami-
cis, posse me facile hoc metu liberari,
si quidquid mecum haberem numorum
apud ipsius Dominationem deponerem,
bona fide quandocumque vellem
postea reddendum. Rogare me ergo

*Gusma-
ni con-
gressus
cui mer-
catore.*

ut eos numos diebus aliquot apud se esse pateretur. id me magni beneficii loco habiturum, atque etiam remuneraturum. Hæc quum ego iis gestibus & verbis quæ maxime fidem conciliarent, eloquutus essem, ille non modo in hac verum etiam aliis quibus posset rebus lubentissime se mihi gratificaturum respondit. Credo equidem utriusque nostrum tum idem fere fuisse propositum, idem consilium, eandem mentem: nec minus illum meæ quam me ipsius pecuniæ inhiasse. Discedo, ita ut dicerem me ad hospitium ire, ut pulcrum illud depositum asportarem: cum eoque paullo post rediturum. Ubi in hospitium venimus, Sajavedra quasi attonitus rogat me, unde tria illa ducatorum millia sumpturus essem. Subridens ego, Quid? inquam non tu jamdudum illa ad mercatorem deportasti: Quum & ipse rideret, Quid tu, inquam, rides? equidem hoc scio meum illud depositum in eo quem Aquilera mihi designavit sacculo bene & recte asservari, nec quidquam inde mihi periturum. Sed amico illi nostro dic, ut post octiduum ad nos veniat, & librum aliquem rationarium heri sui secum afferat. Dum telam hoc quo dixi modo, cœptam pertexere studeo, & animum nunc huc nunc illuc di-

*Non ea-
dem co-
gitant
asinus
& aga-
so.*

vido, quodam die quum jam uterque in
 lectum decubuissemus, Sajavedram &
 ipsum, quod in tota re parum adhuc
 prospiceret, fere insomnes noctes agen-
 tem, sic alloquutus sum: Scito, mi Saja-
 vedra, Asinum gravissime olim ægro-
 tantem, & jam morti vicinum, roganti-
 bus amicis & filiis (quorum sanè infinitus
 propemodum est numerus) tale testa-
 mentum fecisse. Jubeo ut post mortem
 meam lingua mea detur adulatoribus
 & calumniatoribus. cauda cholericis &
 iracundis; oculi, lascivis; cerebrum
 alchymistis, Astrologis, Judiciariis, Ar-
 bitris & machinatoribus; cor, avaris;
 aures, seditiosis & delatoribus: os, Epi-
 curcis, epulonibus & bibonibus: ossa, pi-
 gris: lumbi, superbis: spina dorsi con-
 tentiosis: pedes posteriores Procuratori-
 bus; anteriores, Judicibus: caput, Caus-
 fidicis, scribis & Notariis: caro pauperi-
 bus: pellis autem inter nothos meos di-
 vidatur. Quorsum hoc? inquis. Ed. nolo
 ego, ut dum Aquilæræ ductu & suasu
 mercatoris illius auro tendimus infi-
 dias, Aquilera illud parum quod habe-
 mus nobis subducat: sicq; Testatoris no-
 stri pellem, qua culpam nostram & iner-
 tiam tegamus, solam nobis relinquat.
 Et profecto dignus palma fureit Aquilera
 si os nobis sublinat, Quod si ve-

*Asini
 testa-
 mentum.*

*Fraudatores
fraudantur.*

lit facere, non fortasse ei deerit occasio. Ut enim fallaciam hanc ad optatum finem perducamus, necesse erit ut decem illos ducatos, quorum quilibet denos valet simplices, ejus fidei permittamus: quam ille summam forte non aspernabitur, neque ea nos circumducere & fraudare religioni habebit? Quid ergo si eam rationem ineamus, ut ab ipso tantundem quanti summa illa est, sub alia quadam specie sumamus? Hic Sajavedra, Nihil ait tali cautione opus esse. eam esse Aquileræ fidem, multis experimentis sibi cognitam, ut non modo talis summula, verum etiam quantacumque alia recte ipsi credi possit. Noster enim, inquit, mos sic habet, ut erga socios fidem inviolatam servemus. quod si ille centum illos ducatos interverterit, fiet id meo periculo, tamquam pro Aquilera fidejубentis.

CAPUT XI.

Gusmano belle succedit furtum. Is, Aquileræ promissa data portione, cum Sajavedra Genuam abit.

*Spes
qualis.*

EST quidem spes miserorum omnium velut asyllum quoddam: illud tamen

ramen habet incommodi quod & nihil
 certi promittit, & à metu raro sejuncta
 est: eamque ob causam animos homi-
 num sæpe magis cruciat quam solatur.
 Quam diversis cogitationibus animos
 duorum illorum nieorum sociorum,
 quibus vix scintilla consilii mei adhuc
 alluxerat, distractos ac veluti discer-
 ptos fuisse putas? Ubi ad constitutum
 diem adfuit Aquilera, librum quem se-
 cum attulerat evolvere: quæro folium cui
 inscripta erant quæ octo proximis retro
 diebus mercator egerat. annoto hæc
 verba: *Deposuit apud me Don Ioannes O-*
sorius tria ducatorum millia, inter quos de-
cem sunt qui denos valent, reliqui omnes
quadrupli sunt & dupli. Idem præterea Re-
galium duo millia custodiæ meæ commisit.
 Totum deinde hoc quod scriptum erat,
 litura, ut fieri solet, delevi: ad mar-
 ginem vero, mercatoris manum doctis-
 sime imitatus, adscripsi, geminatis pro
 more verbis, *Restitutos esse.* Inde librum
 Aquileræ reddi, simulque decem illos
 ducatos decuplos; ac iussi ut per occasio-
 nem è capsula qua tria ducatorum millia
 affervabantur, quinquaginta duplos
 auferret, eorumque loco decem hos
 reponeret. Dras etiam eidem dedi sce-
 ndulas, quarum uni inscriptum erat: *Tria*
hæc ducatorum millia sunt Don Ioannis Osor-
is.

Mercato-
riales
astutias

vii. alteri : *hic sunt duo Regalium millia, ad Don Ioannem Osorium spectantia.* Monui insuper, si forte in illa in qua tria ducatorum millia erant capsula alia esset scedula, illa ablata, solam meam relinqueret. alteram vero illam de duobus Regalium millibus certo cuidam immitteret sacco, quem ille certis mihi notis descriperat, & in quem quotidie adventitiam pecuniam reponi dixerat. His onustus mandatis discedit Aquilera, eaque nocte ad unguem omnia exsequitur. Certior factus ego sequenti die ad tabernam mercatoris lento admodum gradu eo, pone me sequente Sajavedra. Credo illum; ubi me vidit, magna exultasse lætitia, ut qui tria illa ducatorum de quibus dixeram millia in sua jam potestate habere sibi videretur. Atqui ego illa non allatum, sed ablatum veneram. Postquam consalutavimus, audientibus qui aderant (erant vero non pauci graves & honorati viri) ajo : Famulum hunc meum cras ego huc mittam ejus quod scis causâ. tu velim ne in mora sis; isque ad me quamprimum remittatur. Hoc ille quidem ita intellexerat, sequenti die famulum à me missum iri qui tria illa scutorum millia apud me deponeret; eoque hoc tantum respondit : Fiet quodcumque jusserit Vestra Do-

Dominatio. Taberna egressus vix viginti circiter confectis passibus, redeo, ajo, dum abirem in mentem mihi venisse, optimum fore si numos illos meos inpræsentiarum statim mecum auferrem: eoque petere me ut jamjam illos mihi redderet. Admirabundus ille, Quos, inquit, tu numos à me petis? Ego, Omnes, inquam. omnibus enim nunc opus habeo. Ille, Quos omnes? Iratus ego, Omnes, iterum ajo, quos à me habes, tam aureos quam argenteos. Ego ne (ille) à te ullos numos aureos vel argenteos habeo? nescio, & forte ipse nescis tu quid dicas. Per Deum immortalem, inquam ego, ecce belle excogitatum astutiã! Ille: Quænam astitutiã? Tui ego quidquam nec habui nec habeo. Ego: Satis jam est nugarum, immò multo nimis ei cui nugæ ejusmodi vel fraudes potius non placent. Ille: Vade cum Deo. Ego, Lubenter id faxim modo pecuniam meam mihi prius reddas. Quam, ait ille, pecuniam? Eam, inquam, quam apud te deposui: in auro & argento. Ego, inquit, nullum aurum vel argentum habeo quod tuum sit. O pulcrum, inquam, hominem! nunquid paullo ante audientibus his dixeras, Famulo te meo eras illud quidquid est daturum; jam vero mihi ipsi negas? An tibi memoriã

*Ecce
ipsam
impudentiã*

excidit, ante ostidium me tria ducatorum millia in auro, & duo millia Regalium in argento apud te deposuisse? Ille: Tune quidquam apud me deposueris? quem ego nescio quis vel cujas sis! Ego ad adstantes conversus, Hic, ait, jam me non novit, atqui paullo ante noverat. nihil habet quod meum sit. nempe suum lubenter velit esse. Sed puto Mediolani quoque administrari justitiam. tu quidem antequam hinc pedem moveam, tam aurum quam argentum illud meum unà cum pulvisculo reddes. Vitam tibi prius ipse eripiam quam tu mihi meos istos numos. Hac durante altercatione, dici vix potest quanta turba undique ad tabernam confluerit: inter quas & unus fuit de publicis ministris; qui apertâ sibi viâ, ubi litigantibus intervenit, elata voce sic circumstantes sum affatus: Jam vos, domini mei, vidistis & audistis quæ inter nos acta sunt: in primis illud quomodo pessimus hic homo depositum mihi negârit. Sed ut veritas elucescat, age, jubeat libros proferri rationarios, quibus inscriptum proculdubio, apparebit id quod à me depositum dixi. Age, videatur qui bona fide agat, qui minus. An ego is sum qui postulem quod meum non est? Deus hoc nunquam siverit

Sic solet fieri.

rit.
fra
des
nem
par
dec
in
den
dix
arg
illat
niat.
recu
tum
inter
trans
tatu
mini
ritat
que
Col
feran
ille di
nullan
stante
di rati
lera r
brum
curate
scelest
nostra

rit. In capsula illa, quam digito demon-
 strabam, in tali sacco (quem certis
 describebam notis (aurum illud meum,
 nempe tria ducatorum millia, quorum
 pars dupli, pars quadrupli; & inter omnes
 decem sunt decupli, vidi recondi. Tum
 in alteram illam (quam & ipsam digito
 demonstrabam) in qua ille mihi ipse
 dixerat circiter septemdecim Regalium
 argenteorum esse millia, duo illa millia
 illata sunt. In rem præsentem ergo ve-
 niat. quod si falsus deprehendar, non
 recuso quin debitas luam pœnas. tan-
 tum cautio mihi adhibenda est, ne ille
 interea si forte ego abscessero, sua in
 transferendis aut immutandis sacculis u-
 tatur malitia. Et conversus ad publicum
 ministrum, Tuum, inquit, erit, aucto-
 ritatem hic tuam interponere, operam-
 que dare ne mea ego defrauder pecunia:
 Collybista, Agedum ergo, inquit, ad-
 ferantur mei libri. inspiciantur. si quod
 ille dicit, in eis scriptum invenatur,
 nullam pœnam recuso. Tum circum-
 stantes: Hæc una optima litem deciden-
 di ratio fuerit. Jubet collybista ab Aquila
 ministro aportari principalem li-
 brum, in quem accepta & expensa ac-
 curate referuntur. Eo viso, exclamo, ô
 scelestus homo! non hic est qui litem
 nostram possit decernere? sed alias qui-
 dam

dam minusculâ formâ. Poscit ille alium. quo allato, iterum exlamo. Quid tantis tricis opus est? non hic est; sed alius quidam, oblongus, strictus. Tunc Aquilera, Credo, inquit, illum esse librum in quem singulorum dierum rationes consignantur. neque enim alius ea forma est, quod ego sciam. Reversus, illum ipsum mihi demonstrat. Hic ille ipse est, ajo. evolvatur: ut veritas tandem appareat. Adstans ego, ubi folium illud vidi in quo scriptum erat quod volebam, sistite, inquam, hic illud ipsum de quo lis est, scriptum invenietur. Id ubi tam publicus ministet quam alii circumstantes legerunt, Collybista mille crucibus se signans, Quis hoc, inquit, scripserit, equidem nescio: nisi forte diabolus scripserit. Jovem lapidem ego juro, de hoc omni quod hic scriptum est tam me scire quam qui numquam natus sit. (Erant vero omnia eo quem supra diximus modo scripta.) Exclamans, Ego, inquam, hoc omne quidquid est scripsi, hac mea manu, te ipso vidente. At tu, pessime, cur cancellas quod nondum solutum? Nondum vero solutum esse? res ipsa convincet. Age tu, si recepi ego numos istos depositos, mentiris tu per gulam qui paullo ante his audientibus dixeras, ne teruncium quidem te à me

acce-

*Ofron-
zem per-
strictam.*

accepisse? Hæc quomodo conveniunt?
 Sed quid opus ambagibus? Aperiantur
 capsulæ illæ. statim deprehendetur ve-
 ritas. Diu contra nitebatur Collybista:
 sed instabat publicus minister: jurans ni-
 si claves sibi darentur, se publica aucto-
 ritate usurum. Afferuntur diversæ: sed
 ego notam mihi designans, Hæc illa
 ipsa est, inquam, in qua numi mei asser-
 vantur. Apertâ capsulâ, statim scedula
 prodit quæ illam quam depositam dixe-
 ram summam designabat. Ea lecta, Vi-
 dete, inquam, mendacissimum homi-
 nem. Paulo ante dixerat. nullos decup-
 los ducatos sibi in capsula esse. at quid
 hæc sceda loquitur? Numerantur nu-
 mi. illa ipsa quam dixeram summa ad-
 unguem, & quidem ejus quam designâ-
 ram monetæ, reperitur: in primis duca-
 ti illi decupli, quos ille penes se esse tam
 pertinaciter negârat. Quid ego vobis de
 nostro dicam homine? Certe tam fuit
 attonitus, ut aliquamdiu apud se non
 fuerit. in primis illud mirabatur unde
 decupli illi ducati in arculam irre-
 pserint, quos à se nunquam visos, per
 omnes deos deasque jurabat. Sic quir-
 tantem & Dei hominumque fidem im-
 plorantem quæcumque excogitare po-
 teram onero conviciis; unum illud ur-
 gens ut tam capsula quam sacculi quos
 desifi-

designaveram inspiciantur. Quum ille ducatos suos esse pertenderet, facile illum refutavi quod paullo ante audientibus qui aderant sibi decuplos esse negasset. O perditum te, inquam, qui tua ipsius confessione proditus, negare tamen depositum pertendis! jamque etiam quod statim habere te negâras, tuum esse contendis! Sed proculdubio divina ultione ablata tibi memoria est, ne meum mihi auferretur. Hæc & similia quum dicerem, aperitur quoque sacculus in quo Regales illi argentei erant reconditi, ubi quum similis scedula fecisset indicium, duo numorum millia scilicet à me deposita ibi asservari, jam nemo erat qui Collybistam non execraretur; & ut meum mihi restitueretur æquissimū esse clamaret. Ego vero quidquam me, nisi re cognita & decisa, sumturum negavi: eoque publicum ministrum rogavi, ut omnium quæ acta fuerant testis locupletissimus, eos numos qui mei comperti essent in tuto aliquo portu collocaret, nec in scelesti hominis potestate relinqueret. quod ille non gravatim fecit: & tam aurum quam argentum apud vicinum, hominem probum, deposuit; frustra misero illo per vim & fraudem sua sibi scrinia expilari, suum auferri clamante. Sed tantâ laborabat
invi-

invidiâ, tanto odio, ut nemo esset, quin etiam injuriam patienti faveret. nunc in tam aperta, ut pleiisque omnibus videbatur, causa, dici non potest quam acerbis diceriis & conviciis, etiã audientem traduxerint. Post unum & alterum diem depositum illud mihi adjudicatur; quod ubi in hospitio ante oculos Sajavedræ effudi, ille vix sibiipsi credens, Hunc, inquit, hominem decet, auro expendi, huic decet statuam statui ex auro; qui tantum hodie patravit facinus, tam opimis affectus est spoliis quæ multum ac diu juvant. Ego, mi Sajavedra, inquam, Tu illum solum vere sapere puta, qui furatur sine periculo, & maximo cum lucro. Apage nugas illas, quas tu mihi in itinere narrasti. Vilem prædam non insectatur aquila. Nequius nihil est quam fur egens consilii. nullus frugi esse potest homo nisi qui & bene & male facere tenet. Improbis cum improbis sit, harpaget: furibus furetur quod queat. Non multo post venit ad nos Aquilera, narrat herum omnem pæne animi sensum amisisse, adeoque tam verbis quam factis delirium ostendere; illud pro certo statuere, meris præstigiis & malis artibus sibi impositum. Dedi tum Aquileræ promissam partem. Sajavedræ quoque dare volebam: sed ille ut penes me servarem

roga-

rogavit. Jam tum consilium ceperam Genuam quam propeere abeundi. dum verò die quodam aurifab ūm circum-
 eo tabernas, torquem video tam ele-
 ganter elaboratum & politum, ut quan-
 ticumque esset, potiri eo constituerim.
 Rogo pondus & precium mihi indicari:
 ex quo statim intellexi, non ex auro; sed
 alia vili esse materia. Ego nihilominus
 quanti mihi indicatus fuerat. inde ad ali-
 um accedens, eadem omnino forma alte-
 ram catenā ex auro fieri mihi curo. tam
 illi similem ut lac lacti non magis esset
 simile. Jam tum enim eius quod Genuæ
 à me factum postea, telam exorsus eram.
 Ut vero Sajavedræ commodius uti pos-
 sem opera, rem omnem ei natio, quo-
 modo nempe olim à cognato quodam
 meo Genuæ tractatus fuerim. quam in-
 juriam quum ulcisci plane mihi consti-
 tutum sit, videri mihi consultum ut
 nomina permutemus. & ego quidem
 Dan Joannes Gusmanus dici volui:
 quem titulum etiam Hispani opiliones
 & fiscellarum textores, ubi in Italiam
 aut Belgium venerint, affectant. Libera-
 lissimè mihi pollicetur Sajavedra. sic
 communi consilio Mediolano quam-
 primum excessimus, Genuam profecti.

*Tela no-
 va frau-
 dis.*

CAPUT XII.

Gusmanus cum Sajavedra Genuam profectus, astutissima malitiæ telam orditur.

Quo semel est imbuta recens servabit *Natu-*
odorem Testa diu. Si meæ vitæ cur- *ram ex-*
 ram, occasiones, casus, amor & metus *pellas*
 animum meum à vitiorum somno ex- *furca,*
 citare non potuerunt, quis credat ullam *tamen*
 in rebus humanis vim esse? Quod si *usque*
 nonnulli humana industria excogitatis *recurves.*
 consiliis ac mediis ad virtutem à vitiis
 traducuntur; non tamen id tam facile sit,
 quin prius necessaria sit quædam mentis
 agitatio, qua homo utile à damno, ho-
 nestum à turpi, malum à bono queat dis-
 cernere: In hoc hærentem discrimine
 divinum auxilium numquam te deseret,
 nisi tu deseras te ipsum. Sed sunt quidam
 qui tanquam belluæ omni destituuntur
 ratione, vel certe nulla utuntur, sed cæco
 impetu ad quævis abripi se patiuntur.
 Hi sane raro, aut numquam agnoscunt
 errores suos. quomodo vero non agni-
 tos emendent? Alii male facere se non *Sponse*
 ignorant; male facere nihilominus vo- *mali fo-*
 lunt, eò tantum ne bene faciant. Fingunt *mus,*
 se esse ignorantis iis in rebus quas no-
 lunt

lunt intelligere. illud interim sciunt & intelligunt, se suamque salutem paullatim ad scopulos deferri. Ducunt insipientes in corde suo : Dicamus in bonis dies nostros. Turgent pecunia loculi, horrea frumentis, cellæ vino aliisque rebus ad vitam jucunde degendam spectantibus abundant. Gaudeamus dum tempus finit. Quid enim attinet, vitam à Deo concessam spontaneis curis & laboribus amariorem reddere? Sic dum illi emendationem ex hora in diem, è die in mensem, ex mense in annum procrastinant, numquam ad id temporis perveniunt, quod vel maxime serum, numquam tamen nimis serum venit. Usurarium & Avarum vide. Dei hominumque oblitus, solum Mammona colit. Libidinosum. Venatur id quod maxime fugere debebat. Superbum. Stercore gloriatur: & elevans se in cœlum, ad tartara deprimitur. Detractorem. Pejor hic est quovis crumeniseca & fure. Furatur hic quando non est quo vitam commode sustentet: sed ea tantum quorum jactura refarciri potest. illud alteri studet eripere quod ipse quidem restituere nequit. quomodo enim reddat quod non habet? Quam multi sunt hypocritæ, qui eodem ore preces tam longas quam frequentes demurmurant quo pauperum, vidua-

viduarum & orphanorum bona devorant! Quam multi qui precio ad quodvis dicendum & faciendum adigi possunt! Sed ad orbitam redeo: ne dum alia aliorum vitia in scenam produco, me inde subducere velle videar. Quid fur non fecerit ut furetur quod furari instituit? *Furum discrimina.*
 Hic monitum te volo, quando de furibus loquor, me de miseris illis & triobolaribus, ut sic dicam, loqui: non de iis qui ædium suarum parietes conchyliatis aulæis & peripetasmatis ornant; qui holeris vestibus quotidie induti ambulāt aut obequitant; qui denique miseros illos suspendi jubent. Pro his nulla feritur nec crescit canabis, nullæ fabricantur triremes, nulla eriguntur patibula: quæ infelicibus tantum destinata sunt, non reis. Non, inquam, de his loquor: quamvis non dubitem te, exemplo illius simiæ, meæ tamquam felis manu seu ungibus castaneam hanc de prunis extractam velle. Sed retrabo manum, ne amburam. Non meum est, sed Regum ac Principum hos corrigere. Trivialibus lavernionibus pericula in quibus versantur, miseras & ærumnas quibus premuntur ut ostenderem, PICARI *Auctoris scopum.* personam indui: furtaque à me commissamenta mentior, ne tu committas, & ab eis qui committere velint caveas. Sed quid

ita ad furti & furis nomen exhorrescis ? Mihi crede, si rem ad mussim perpendamus, pauci erunt qui non & ipsi vel hoc vel alio modo aliquid in hac vita furati sint & ad huc furentur. Quid enim? Surripuit tibi aliquid furunculus. auctorem nescis : eoque furcam ei imprecaris. quem si scires, tuum repeteres; nec curares, si etiam vitam unà ille amitteret. nunc ille alius tuum habet, te sciente, & tamen ne hiscente quidem. Quæ enim stultitia, Pygmæum Herculi clavam velle extorquere ? Mihi quidem perinde fere sit, si ve tu nescias aliquid de tuo penes me esse ; si ve scias, repeterere tamen nec ausis nec possis, si maxime velis. Sed ad historiam revertor.

*Vestis
honorata,
non
virtus.*

Vestibus aliisque omnibus necessariis quam optime instructi ego & Sajavedra Mediolano discessimus. Genuam ut venimus, dici non potest quanta cum alacritate ab hospite excepti, quanta cura & honorificentia ab universa familia tractatus fuerim. Tunc quidem non poteram non humanarum rerum damnare caliginem. Non multos ante annos quum pannosus, malo quidem & depravato robustarum tamen nequitiarum adhuc ignaro ingenio eò venissem, omnes me averfabantur ac tantum non conspuebant : nunc superbe cultum & ve-

stitum,

stitum, quamprimùm in publicum pro-
diissem, nemo erat qui non admirare-
tur, qui non reuereretur: quum olim
miseriæ meæ subvenire, tunc vero tam-
quam noxium aliquod animal fugere
deberent. Plerique Sajavedram pone
me incedentem rogabant, quis aut cujas
essem. Respondit ille, Don Joanni Gus-
mano mihi nomen, patriam Hispalim,
nobilissimo ortum genere, unicum opu-
lentissimæ viduæ esse filium. Romã
Genuam venisse, certorum negociorum
caussa; quibus expeditis, Romam essem
reversurus. Non pauci illud miraban-
tur quod tam bene vestitum rebusque
omnibus aliis instructum viderent. Aje-
bant enim, iis qui vel Romam vel ad
aliam quamcumque aulam proficiscun-
tur, idem accidere quod thynnibus, qui
nondum ejectis ovis, crassi sunt, pin-
gues & robusti; at post partum macilen-
ti, debiles fiunt & insipidi. Erat vero hos-
pitium in quod diverteramus unum ex
totius urbis præcipuis: in quo licet ma-
gni fierent à nobis sumtus, nihilominus
multum lucri faciebamus. Non semper,
sed suo tempore sonat horologium. Lu-
debam nonnumquam cum aliis hospi-
tibus, sed parvo. nec Sajavedræ opera,
sed mea tantum fortuna & arte utebar.
Quod si fortunam adversantem mihi

*Quales
ab Aulis
dimit-
tantur.*

animadverterem, cum exigua jactura
 abstinebam: at faventem ad extremum
 prosequabar. Accidit aliquando ut inter
 ludendum notare e spectatoribus ali-
 quem, triremi cuidam Præfectum, lu-
 cranti omni gestu faventem. Finito lusu,
 centum & amplius ducatorum lucro au-
 ctus, sex duplos ei dono, amicitia causa:
 gratissimum illi, ut postea intellexi, &
 valde opportunum munus. Est sane ubi
 numus unus centenis, aut etiam millenis
 æquivalet. Tanti est in tempore non
 venire tantum, sed etiam dare. Et ille
 quidem & ingentes mihi egit gratias, &
 operam suam ad omnia prolixè detulit.
 Certe parva hæc liberalitas fere sola
 mihi ad perficiendum quod institueram
 viam stravit. Sed & inter alios quoque
 qui mensæ adstiterant ducatos aliquot
 distribui; omniumque animos ita de-
 vinxi, ut nemo esset qui non vitam suam
 pro mea periculo, si necesse, expositurus
 fuisset. Capitaneo illi nomen erat Favel-
 lo; non gentile illud quidem, sed à femina
 quadam, quam deperibat (ut mihi ipse
 postea narravit) ipsi inditum. Erat autem
 homo mire alacris, prudens, consilio
 & manu promptus, robustus, patiens,
 nisi quod aliquando esset austerior &
 morosior; quibus omnibus seu virtuti-
 bus seu earum imaginibus contuberna-
 lis

*Oppor-
 tuna li-
 berali-
 tas fru-
 ctuosa.*

lis erat paupertas : cui ego pro viribus subvenire allaborabam. Paucorum dierum usu & consuetudine tanta inter nos coaluit amicitia , ut sua ille omnia mihi crederet. ego scopum quem mihi præfixeram , solum ante oculos habens , ei omnia feci quibus benevolentiam ejus conservare possem : consiliorum vero intimorum unum Sajavedram habebam conscium. Quia autem jam ante dixeram , majores meos , atque etiam ipsum patrem Genuâ fuisse oriundos , multi ultrò accurrebant qui cognatione mihi se junctos ferebant. Adeo facile est felicibus seu opulentis cognatos invenire , etiam si ex infima sæce fuerint prognati. Fuit etiam qui genus suum ad atavos meos & abavos referret. Quoniam vero nihil magis nosse desiderabam quam senem illum à quo olim tam misere tractatus & ludibrio habitus fueram : unum illorum ultro oblata occasione , rogavi , quid de patre meo sciret : an is fratres habuerit : & num horum aliquis adhuc esset in vivis. Ait ille tres fuisse fratres , patrem scilicet meum , & duos alios. horum alterum jampridem fato functum : alterum , & quidem majorem natu , etiamnum in magnis divitiis vivere , sed decrepitum fere : nec uxorem umquam habuisse. Ex his ego signis

*Amicus
senis in-
cimus
haben-
dus.*

facile intellexi hunc illum ipsum esse qui mihi tam nequiter illuserat. Ajo, velle me postero die domi illum visitare. quod ubi senex accepit, honoris causa prævortendum me statuit, & mane in hospitium meum, tremulum gradum baculo sustentans, aliis aliquot cognatis, quos ad id acciverat, comitatus venit. Quem ut vidi, nihil magis optavi quam ut aliquanto esset junior, quo diutius vulneris quod ipsi inflicturus eram, dolorem sentire posset. Despiciunt meo iudicio, qui ut se ulciscantur, hominem interficiunt. cum vita quippe omnis quoque sensus finitur. quanto acerbior vindicta est cujus sensus quamdiu vita durat circumfertur! Post mutuam salutationem, offert ille mihi pro hospitio domum suam: ad cujus solum nomen jam mille laxati dæmones sub lecto mihi prodire, neque impetere videbantur. Non, non, (cogitabam) semel deceptus sum. Satis id sit. Me quidem, præter unum Sajavedram, nemo deinceps decepit, nullo tamen suo bono. quod si alius post eum id fecerit, lubens ei ignoscam. Multis ultro citroque verbis habitis, rogat me filicernium, num ante id tempus fuisset Genuæ. Sentiens quod ille sermo evasurus esset, ajo, ante triennium circiter me quum Romam proficiscerer, urbem quidem

*Quæ ul-
tio gra-
ta.*

quidem vidisse, sed unam modo noctem mansisse, summo mane viam cum comitibus ingressum: quod negotium quod Romæ habebam, nullam moram pateretur. Hic ille recollecto spiritu, quasi magnum aliquid & jucundum narraturus, sic satus est: Scito ergo, charissime mi nepos, septennium esse, plus minus, quum adolescens quidam pannosus, mendicus, fur, vel certe furum socius aut discipulus ad me venit, non aliam ob causam, credo, quam ut è domo mea aliquid surriperet, & aufugeret. Hic fratris se mei filium mentiens, quum mendicabulum esset hominis & lavernio, non parvo nobis futurus erat dedecori, nisi astutiam commenti essemus quæ eum ita excepimus ut non aliter ac canis, alligata ad caudam vesica, ex urbe profugerit; lecto in quo dormierat, coctis fursuribus oppleto. Credo nebulonem noctis illius perpetuo futurum memorem. Me quidem ut iuvat hominem sic abactum; ita pœnitet non gravius punitum. Singula deinde articulatim exposuit, quomodo domum deduxerit, quomodo famelicum & cenæ inhiantem furstratus sit; nihil vero majori cum voluptate & risu recitavit, quam quomodo larvati illi dæmones miserum stragula

*Acquid
magno
tibi com-
stabit
hec astu-
cia.*

convolutum veste tamdiu quasi ventilâ-
rint, quoad ipsum intestinorum, aliàs
plane inanium, fundum quasi egressisset.
Miser ego hæc audiens, jam iterum mi-
hi in gravissimo illo meo conflictu ver-
sari videbar, tanto cum dolore, ut to-
tum mihi corpus, non aliter ac interfe-
cti, adducto ad cadaver homicida, vulne-
ribus dehiscere mihi & sanguinem eru-
ctare videretur. Et quamquam facere
non poteram quin mutati vultus & co-
loris aliquod se proderet indicium:
omnibus tamen viribus dolorem dissi-
mulabam. nec illi, risu fere dum hæc
enarrantur emorientes, diligenter me
observabant. Tum quidem ego tanta in-
dignatione incensus fui, ut vitæ prius ja-
cturam facere quam ultionem omittere
decreverim. Malum est male facere; sed
multo pejus male factis gloriari. Nec
continere me poteram quin dicerem:
Ergo nondum hætenus resciscere po-
tuistis quisnam ille puer seu adolescens
fuerit, qui ita sapuit ut honoratum ge-
nus seu stirpem quærendam sibi putâ-
rit? Quisquis fuerit, non parum ei à
nobis deberi existimo. Quid enim, si
forte magnas domi divitias habuerit;
sed, quod communi dici solet prover-
bio, è proelio Roncevallonsi evaserit?
nec contemnendum est, quod è tanto

*Etiam
cicatrix
renova-
ta stillat
sangui-
nem.*

nobilissimarum, quæ in Hispania sunt, familiarum numero, nostram ille potissimum elegit, *Nudi non semper repellendi.* cuius honore nuditatem suam tegetet. Equidem si talis aliquis ad me in Hispania veniret, lubenter ei bene facturum ac gratificaturum, interim dum certo mihi constiterit, quali ille animo ad me venerit. Nam in vita humana etiam magni viri ed nonnumquam delabuntur, ut confusione & ignominia pleni, non amplius qui fuerunt esse videantur. Nec dant virtutem divitiarum, nec paupertas adimit. Quod si talis aliquis vel non sit quem sefert, vel aliam ob causam minus mihi placeat; satis mihi fuerit clam illum monere ut suas res sibi habeat, meque missum faciat. Denique licet nulla me attingeret cognatione, non possem tamen non amare eius electionem. Ad hæc Acherunticus ille senex: Illum quidem, mi nepos, si tu vidisses, non dicturus sis quæ modo dixisti. Mihi quidem gratissimum accidit, atque etiamnum tacita voluptate animus meus perfunditur, quod temeritatis ab ipso pœnas sumere licuit. Numquam ipsi, credo, magnis familiis sese miscere post hæc libebit. Subjunxi ego, me illo ipso tempore Hispali apud matrem fuisse, nec parentibus meis alium præter me natum esse

filium. Non ad invidiam quidem magnas, ad vitam tamen honestè sustentandam sufficientes opes à patre mihi relictas : quas etiam nunc mater mea solers admodum & frugalis femina non modo non imminutum, sed etiam augmentum eat. Hæc multaque alia quum illi lubentissimis auribus & animis accepissent, nemo erat ex omnibus qui non comiter honoratiorem locum quamvis non minus comiter reluctanti mihi daret, de via decederet, assurgeret, beatum denique se mea amicitia & familiaritate putaret. Tunc ego, penitissime rerum humanarum vanitate perspectâ, sic mecum cogitabam : O summam mortalium vanitatem ! quantis tu studiis eos qui bona utuntur fortuna colis & prosequeris ! quam cito, quam turpiter eosdem, ubi paullum illa tergum obyterit, destituis ! Illud quovis oraculo verius puta, à plerisque omnibus eos amari, eos juvari quos utiles rebus suis fore putant. Hinc est quod perverissimum ratione diviti nemo quisquam quidquam negat ; pauperis & miseri necessitatibus nemo succurrat. Ferri id poterat in Ethnicis divinorum præceptorum ignaris. At nos qui Christianæ luce doctrinæ illustrati sumus ; quibus paupe-

*Divitiæ
coluntur,
non
virtutem.*

*Pauperes
juvandi.*

res ipse Salvator voce & jussu suo tantopere commendavit, quid in extremo illo judicio respondebimus, quando nihil aliud nisi Charitatis è vera Fide profecta opera in rationes venient? quando id quod in pauperes expensum est, Salvator ipse sibi acceptum feret? Quamquam profecto ii qui pauperes non modo non juvant sed etiam oderunt atque averfantur, etiam contra ipsius Naturæ legem peccant, quæ illud jubet ut quod nobis fieri velimus, alteri faciamus; & quod nolimus, ne faciamus. At quis omnium est mortalium qui, ubi necesse, non juvari gaudeat? Sed demus hoc humanæ imbecillitati, præsentia tantum, non futura intuenti. Suadeo tamen ne sua sibi religione vel quacumque fide nimium placeant qui oculos animosque à pauperibus avertunt. quos manifestæ impietatis seu atheismi D. Apostolus Joannes convincit, quando negat ab iis Deum diligi, quem non vident, à quibus proximus negligitur, quem vident. Me quidem quem mendicum ante tamquam inutile terræ rejectamentum despiciatui habuerant cognati, nunc furtivis opibus superbientem velut idolum quoddam adorabant. quam vanitatem non minus vana ostentatione mirifice ego alere studebam. Coëntis

*Decipit
splendor.*

vasis aliquot argenteis inauratis magni
precii, epulum cognatis meis & amicis
instruo magnificentum admodum, in quo
vel Apicius nihil desiderare posset. A-
blatis mensis secundis, in lusoriam de-
scensum est arenam: in qua quum multa-
rum palmarum victor non exiguam pe-
cuniam ad me traxissem, statim quid-
quid id erat inter eos quos visum erat,
stistribui; luculentius quoddam lucrum
consectans. O si me tum illi nôssent,
quibus modis, putas, excepturi fuerant
tam occultas insidias fruentem? Sed non
levem pœnam erant meriti, qui eundem
quem tum tantopere colebant, ante
paucos annos ne teruncio quidem juva-
re dignati fuerant. Illud ego tacitus eis
spondebam, splendorem hunc *Don*
Joannis Gusmani olim eis majori futu-
rum abominationi, quam squallorem
& lacerum vestitum Gusmani Alfaraci-
cii. Etsi vero nihil omitterent quod ullo
modo gratum mihi fore putarent; ul-
tionis tamen desiderium ingrata mihi
omnia reddebat: ipsumque pectus
meum ceu gravidæ feminæ stomachus
plenum erat fastidii, quod tamen miro
studio & arte celabam. Consilia interim
cum Sajavedra tam varia quam astuta
machinabar; occasionem tantum exspe-
ctans. Frustra consultat qui consulta
exsequi

*Odi
vis.*

exse
rati
cidi
uxor
sed p
nec
non
mei
tas e

Opin
a
n
A
cium
qui f
Abd
melis
gressu
tura.
potens
pactus
tur. N
quam
morio
qui à
nere,

exsequi nec vult nec potest. Unum etiam rationibus meis non incommodum accidit, quod cognati mihi suadebant ut uxorem ducerem, primarii civis filiam, sed pauca cum dote. Conditionem ego nec aspernabar statim, nec accipebam: non ignorans hac spe suspensos insidiis meis multò fore opportuniores. Securitas enim periculo proxima.

CAPUT XIII.

Opimis onustus spoliis Gusmanus cum Sajavedra in Hispaniam navigat.

A pud plerosque omnes homines levius pluma est acceptum beneficium; plumbo gravior injuria, quam qui fecit; securus esse numquam debet. Abditissimis locis occulta latet Nemesis, quando minime putatur progressura, & provocantis tergo inhæsurâ. Frustra hic viribus suis confidit potens. Cum tempore res mutantur. Impactus ad parvum saxum currus evertitur. Nulla ad vindictam melior occasio quam offendentis securitas. Complutimorio quidam fuit Futtiglius nomine: qui à cane morsus, etiam sanato vulnere, saucium nihilominus dolore ani-

Accursum & diuturnus sensus injuria.

mum semper secum circumferebat. For-
 te fortuna illum ipsum à quo morsus
 fuerat canem ad ostium distentis pedi-
 bus recubantem videns, qui juxta ja-
 cebat, maximi ponderis lapidem tollit,
 & suspenso gradu accedens, in caput
 dormientis mittit. Ad lethalem hunc
 ictum cani miserabiliter velut ejulanti
 Futtiglius illudens, *Nesciebas tu, sceleste,*
 inquit, *ei qui inimicos habet non esse dormien-*
dum? Vindictæ cupiditatem parum vi-
 rilis, nedum Christiani animi signum
 esse supra dixi: quamvis plerisque aliter
 videatur. hoc interim negari non potest,
 male & imprudenter facere eos, qui,
 licet malas hominum inclinationes o-
 ptime perspectas habeant, iis nihilomi-
 nus quos offenderunt temere fidunt.
 Tu vero, quisquis es (non hoc meum,
 sed Sapientis monitum) Inimico re-
 conciliato ne facile fidas. Utcumque si-
 mulet aut dissimulet, nisi solo Dei amo-
 re extinctus fuerit hic ignis, vel parva
 admota scintilla, in sævum erumpet in-
 cendium. Id ego in me ipso expertus
 sum: quem accepta illa jam olim injuria
 ad vindictam non aliter quam bestiam
 extimulabat. Recte dixi, bestiam, be-
 stia namque est quisquis tam bruto af-
 fectu abripi se patitur. Mihi ante oculo-
 los semper obversabantur laryati illi

*Ultionis
 studium
 Christiano indi-
 gnum.*

dæmones. concussione illa adhuc etiam
 ossa mihi frangi videbantur. in primis
 ipsum pectus mihi effodiebat teterrimi
 illa senis patruī mei narratio, qua tam
 graphice, tam jucunde infelicem illam
 meam noctem repræsentârat: nec
 aliud dolere sibi dixerat, quam quod
 acerbiorē supplicio in miserum non
 deffæviisset. O homines impuri, im-
 pii, scelesti, nequissimi! Si pauper ite-
 rum ac nudus fores vestras pulsassem, *Pauper*
 quibus lautitiis me excepturi, quali *ubique*
jacet.
 viatico adjuturi fueratis? Has ego cogitationes non semel animo ejicere statueram: sed quum subinde recurrerent, collatis quotidie cum Sajavedra consiliis, technas comminiscebar assiduè, quibus & dolorem illum meum cum locuplete usura illis rependerem, & simul meis consulerem utilitatibus. Indies cognatorum mihi augebatur numerus. Decrepitus ille Beltramus (hoc ei nomen erat) nuptias meas magna tractabat diligentia. Quotidie aut *Dives*
regnans
 visitabam amicos, aut visitabar. Nulla totâ fere urbe domus mihi clausa erat. Sed & meum hospitium tam cognatorum quam aliorum ludendi causa confluentium cœtibus feruebar. In lusu vincebam nonnunquam, nonnunquam vincebar. una nox ita mihi fayerat,
 ut

ut circiter septem millia Regalium mecum asportarim. Hoc vulnere exasperati collusores, alteram pugnam insequentem noctem mihi indicunt. Ad quidvis paratus ego eram, ut cui cum Favello in Hispaniam navigare jam certum esset. jamque adeo triremem mihi conscendisse videbar. illa quidem nocte aliquantulum perdidit, tantum scilicet quantum ipse volebam: ut hac hamo imposita esca admorsicantes allicerem pisciculos. Paucos post dies venit ad me Favellus, totus tristis. Rogo, quæ tristitiæ causa. Ille, hoc unum ægerrime se habere aiebat quod propediem in Hispaniam sibi solvendum, meaque consuetudine porro carendum intelligeret. Nulla umquam gratior harmonia meis auribus accidit. Videbar mihi audire aromatarium illum dicentem (*de quo in*

tum
meo
cive o
nem e
sione
Scis
alio
me fu
bus ju
injuria
potest
amic
donis
rogo
apud
rebus
hunc
vindic
multi
vinci
devin
minus
que pe
probro
animi a
modi i
Eam u
fectum
riam,
consili
verbis a

*Vide
quã pul
cre occa
sione
mali ad
malum
ut antur.*

prima Parte) Ades dum Gusmane cum tua sporta, ut prædam hanc asportes. Inde secreto cum Favello sic loquor: Mihi quidem, ô Favelle, nihil est quod plaris faciam quam te tuamque amicitiam. Et certe tam virtutes tuæ quam amor in me singularis ita merentur ut nihil meorum rerum te celem. Sic ergo habe: non me ullo civitatis hujus visendæ desiderio huc venisse, nec ullis deliciis aut illecebris tamdiu detentum; sed eo sine tantum

tum ut votum exsolvam, & quæ patri meo ab Hispano quodam hujus urbis civæ olim facta est atrocis injuriæ ultionem expetam. Patri quidem meo occasionem senectus, deinde mors interclusit. Scis vero ipse quod judicium amicorum aliorumque qui ejus rei consciï sunt de me futurum sit, si isthac ætate, istis viribus juvenis tam gravem & damnosam injuriam non ulciscar. Quia autem fieri potest, ut ille, si quid tale senserit, vel amicorum favore, vel largitione & donis me conetur opprimere: id unum rogo atque oro ut clam mihi receptum apud te præbeas, & quibus necesse erit rebus præsto sis. Hoc uno beneficio hunc hominem tibi nexui mancipioque vindicare potes. Hæc audiens Favellus, multis precibus me obsecravit, ut provinciam hanc sibi relinquerem. Iis se devinctum mihi beneficiis; ut non minus bona quam mala mea ad se quoque pertinere putet. Respondi, id sine probro meo fieri non posse, tantum animi ac virium mihi superesse ut ejusmodi injuriam ipse vindicare possim. Eam unam ob causam ex Hispania profectum, magnam ab illo mihi fieri injuriam, si existimaret vel manum vel consilium ad executionem deesse. His

verbis acquiescens Favellus, multo libe-

Tantum potest beneficium vel exiguum.

ralius

salus quam umquam antea pollicetur, omnibus se viribus, non cum fortunarum tantum, sed etiam honoris ac vitæ periculo salutem meam propugnaturum. imperarem tantum quidquid fieri vellem. Quinetiam, ait, per quidquid sanctissimum est me tibi obstringo, postquam semel pedem navi intuleris, me vivo vel totius Italiæ vires è manibus meis te non erepturas. Ago gratias quam humanissime, tanto magis quod ex animo loqui scirem: unice interim rogans ut ipsum diem quo triremes oram soluturæ essent, mihi indicare non negligeret, quo tanto tutius in exsequendis meis conatibus possem procedere. Constitutum inde inter nos, quibus rationibus sarcinulæ meæ Sajavedræ opera clam in triremem inferrentur; ut ne quid nobis in mora esset. Digressus à me Favellus, penum non usitatis modo cibis, sed bellariis etiam & cupediis ita instruxit ac si Principem aliquem vesturus esset. Narro Sajavedræ omnia quæ cum Favello egissem, de iis quæ porro nobis agenda essent deliberamus. Utrique visum fuit, optimum fore id ultionis genus quod & maxime tutum & nobis profuturum sit. Stulti, inquit Sajavedra, ferro se ulciscuntur. Corporis enim vulnera cito sanantur: at qui crumenæ

*Qua ul-
tione
maxime
doleat.*

infi-

infigi
ut qu
occur
cinnam
Sajaved
unius
gnit
inferre
lus est
illas a
bus ita
etiam
fuerit
te co
defere
singul
sit, i
non e
fieri v
lius o
truun
lia ajo
fente
duabus
lapides
gentea
fortun
insidi
latis,
Tua,
mi ne

infliguntur ictuum sensus æternus est ;
 ut quorum memoria etiam nolentibus
 occurrat. Ex inde ego cæpi aream con-
 cinnare , laqueos & retia tendere. Jubeo
 Sajavedræ , ut quatuor emat cistas plane
 unius & ejusdem tam formæ quam ma-
 gnitudinis : quarum duæ in triremem
 inferendæ & quem designaturus Favel-
 lus esset loco collocandæ essent. Duas
 illas alteras, ajo Sajavedræ , tu lapidi-
 bus ita implebis, ut nullus eorum sonus,
 etiamsi eversæ aut per scalas dejectæ
 fuerint, audiatur. Sic, nemine præter
 te conscio, impletas, in hospitium meum
 deferri curabis ; operamque dabis ut eo
 singulæ sint pondere quod conveniens
 sit, in universum vero centenas libras
 non excedant. Addo multa alia quæ
 fieri vellem : quæ tamen ille omnia me-
 lius quam ego intelligebat. Inde pa-
 truum meum Beltramum adeo , inter a-
 lia ajo , vereri me magnopere, ne ab-
 sente me, sarcinulis meis, præsertim
 duabus cistulis, quibus pecunia mea,
 lapides preciosi, catenæ aureæ, vasa ar-
 gentea , atque adeo maxima pars
 fortunarum mearum asservabatur ,
 insidiæ struerentur : quibus expi-
 latis, ad incitas me redactum iri. Ille,

*Hospiti-
 siorum
 fides.*

Tua, inquit, solius culpa hæc est, mi
 nepos. Ubi domus mea est, ibi
 alio

alio tibi hospitio opus non est. illud quidem in quo diversaris, unum ex optimis est totius civitatis: sic tamen statuo, nullum in toto Mundo bonum, nedum optimum esse, id est, tale ubi res tuas secure & tuto asservare possis. Nec mirum tibi videri debet, si senex ego te juvenem hac in re admoncam, ut scilicet iter faciens semper tecum portes seram aliquam pensilem, qua cubiculum ab hospite tibi assignatum, quotiescumque exieris, obseres: siquidem plerumque vel hospes, vel mulier, vel alius aliquis è domesticis alias habent claves ad aperiendum aptas. Quod si quidquam amisisse te questus fueris, hospes ultrò tibi litem intentabit, teque ex actore reum constituit. Quare omnino tibi consulo, præsertim si magni precii sit quod tecum habes, ut id tuto aliquo deponas loco. In hospitio non hospes ab hospite tutus est. Licet vero facile animadvertam tibi tamquam juveni non placere apud me senem, ut verum fatear, aliquanto morosiores diversari: poteris tamen quidquid visum fuerit rerum tuarum tuto in meis ædibus deponere. Tu, si me audis, in hospitio non plus argenti aut pecuniæ relinques, quam quotidianis usibus tuis sit necessarium. Hac oblatione mirum in modum exhilara-

*Similis
gaudet
simile.*

H
hilaratu
lætari
quem in
derat et
catenas
ego sic
semper
suspicio
nuptiis
quas or
conabar
maturè
cendar
rum e
tem qu
standa
servis
quam a
tim si v
tioni e
que m
bus, de
cultatib
non sen
gare, u
daret: q
à nesci
bam ap
uxorem
velit ut
quid al

hilaratus, gratias ago maximas, & ille lætari mihi videbatur tanto thesauro quem in suis ædibus esset habiturus. Viderat enim jam ante vasa mea argentea, catenas aureas, annulos, numos: quos ego sic promere & explicare noram, ut semper majorum divitiarum facerem suspicionem. Ex hoc in alium, nempe de nuptiis meis sermonem delapsi sumus: quas omnibus modis persuadere mihi conabatur. Aiebat, non quidem nimis maturè, sed nec nimis sero uxorem ducendam. Senum matrimonia orphanorum esse seminarium, non tam voluptatem quam commoditatem in hac re spectandam. Etiam à fidelibus ceteroqui servis & domesticis rem heri nonnumquam arrodi, adeoque consumi: præsertim si vel amoribus, vel lusui, vel helluatiõni operam dare cœperint. Hæc aliæque multa de matrimonii commoditatibus, de ejus in quo viverem status difficultatibus & incommodis differentem non semel lubido fuit interpellare, & rogare, ut suam ergo mihi filiam nuptui daret: quod legeram philosopho cuidam à nescio quo responsum. Hem! cogitabam apud me: Homo hic numquam uxorem duxit. cur ergo tibi persuadere velit ut ducas? nimirum, credo, monstri quid alit. sed ut silerem melius fuit. In-

tre-

Celibatus incommoda.

*Sic docet
beave a-
micos.*

terrogo, quænam illa & qualis sit quam nuptam mihi cuperet. Ait, de matris suæ esse profapia, nobili ortam genere, sed pauperulam: quem tamen defectum formæ supplere possit elegantia, cum decentissimis moribus conjuncta. nec uxorem modo, sed filiolum quoque eadem operâ mihi conciliaturum; cujus patrem ajebat fuisse nobilem quendam & primarium civem, qui promisso matrimonio irretitam deceperit, alia post uxore ducta. Matrem habere, feminam prudentem valde & solertem, maxime in educandis liberis; quam non minus quam propriam matrem charam mihi fore speret. Ego lætum vultum animumque simulans nihil aliud respondi, quam omnes spes meas opesque me fidei ipsius commendare; nec displicere posse aut debere quod ipsi placeret, à quo persuasissimum haberem me filii loco amari. Sed ecclesiastico quodam gaudere me beneficio: quod in materteræ meæ filium transferre jam ante constituerim eoque hac in re nihil mihi præcipitandum. Mihi quidem conditionem illam mirum in modum allubescere, ut cui unice in votis sit vitam meam apud ejusmodi cognatos qui consiliis & auxiliis mihi numquam defuturi essent, transigere.

Hæc

*De con-
pacto
rem ge-
runt.*

Hæc dum colloquimur, ecce Sajavedram. quem ut vidi, passum unum & alterum retrocedens, aurem quasi magnam aliquid nuncianti applicui. Quum ille nescio quid insufurrasset, exclamo: Quid tu ergo; ille non minus clara voce, Quid aliud responderem, ait, quam, Fore uti peteret. Male, inquam ego, fecisti, mi Sajavedra. Scis tu non me Romæ jam esse, aut Hispali. Numquid insipientia est promittere te id quod ipse, ne si velim quidem, præstare possim? Sed quia id factum: agedum, ponderosorem illum torquem aurem ad eam defer, dicque meo nomine, Commodare me quod præ manibus sit. utatur eo, nec petat à me quod non habeam. Excusationem pro tuo temperabis arbitrio. Tum Sajavedra, Ergo, inquit, bajulum conducere mihi necesse fuerit, qui tam grandem & ponderosam catenam deferat. Ego, Fac, inquam, quod facere te iussi. Vel potius ad tabernam aurifabri defer pigneris loco. Ab eo dein petere illam jube quod placuerit. Quod usuræ nomine debebitur ego præstabo. Quod si catenæ seu torquis precium non suffecerit, adde è theca illa, quam scis, non illa altera, gemmarum aliquid quantum satis sit. Certe aliam rationē non video qua stultam illam tuam in prmittendo

facilitatem emendate queam. Horum omnium sermonum arbiter patruus, Ecquid, ait, mi nepos, pigeris est de quo loqueris? Mi patruæ, inquam: Scis heris sæpe famulorum luendam esse stultitiam. id quidem mihi jam accidit. Degit hac in urbe Castellana quædam prænobilis femina; quæ in eo jam est ut nuptias cum Equite ejusdem nationis celebret. Uterque, sponsus & sponsa, mihi noti sunt. utrique (etiã debere me fateor,) lubens bene faxim. Rogavit me illa ut suis opibus apud externos destitutæ succurrere, & mundum muliebrem ad decenter peragendas nuptias procurare velim: quarum dies tam prope est, ut quasi impossibile mihi sit tam ipsius, quam meæ voluntati satisfacere. illud male me habet, quod fungus iste tantum non sapuit ut me excusaret ea in re quam sciebat sine incommodo à me præstari non posse. sed credo ego hunc potius priusquam illa me compellârat, ultro, me nescio, operam meam obtulisse. neque enim verisimile est, feminam prudentem ab homine benevolente quidem, non minus tamen apud externos quoque agente, tale quid petere ausuram. verum enimvero quia aliter existimatio mea conservari nequit, age tu, fac quod illa

*Quam
pulcre!*

illa voluerit. Pessimo letho emori malim, quam ullum vilis & genere meo indigni animi indicium præbere. Tum fenex: Ne feceris, mi nepos, ut tantilla res negotii tibi aliquid aut curæ facerfat. Ibi locorum nunc es, ubi nihil tibi deesse potest. Respondi, Id mihi quoque esse persuasum: nolle me tamen cuiquam molestum esse; maxime quum nesciam quisnam cognatorum hac in re commode iuvare me queat. Esse quidem mihi non contemnendam gemmarum copiam; sed eas loco movere mihi quasi religioni ducere. nec omnia omnibus locis & personis apta aut decora ille quieto me esse animo jubet. se cum reliquis cognatis sedulo effecturum ne quid quod vel ad usum meum vel existimationem pertineat, desit. Digredientem monet, ut si ita mihi videretur sarcinas meas domi suæ extra omne periculum asservandas mitterem. Egi iis verbis gratias, quæ ad id quod agebam essent appositissima, quæque maxime simplicis & sinceri animi facerent fidem. In hospitium reversus, duas illas cistas lapidum, sed non valde preciosorum plenas, ternis seris, ita factis ut sine fractione non nisi legitimis clavibus aperiri possent, munitas, per bajulos, comitante Sajayedra, ad patruj ædes deferri jubeo:

*Hic
capitulum.*

cui tam onustus tanti thesauri, ut putabat, portatores videnti, non supercilium modo, sed & ipsa præcordia saliebant. Depositis eo quem monstrârat loco sarcinis, Sajavedram rogat, quæ res in cistulis illis ineissent. Respondet Sajavedra, Res esse magni precii, & magnam facultatum heri sui partem, sed maximi omnium precii lapides esse quosdam raros admodum, quos herus suus multo labore quacumque iter fecisset, conquirit, & hætenus non nisi paucissimis inspiciendos dederit. Dimissus à sene cum diligentis custodiæ promisso Sajavedra, & in hospitium reversus, rem omnem, & maxime senis vultum, oculos, gestus mihi exponit: uterque vero ad instar columbarum gutturizantium & rostra inter se conferentium, & paleam & similem materiam colligebamus, è qua nidum construeremus. Et variis quidem inventionibus tota illa nox nobis transacta fuit: quarum multas, tamquam chimæras, statim damnavimus, in plerisque vero illud, *Non liquet*, usurpandum, & consilium è re nata capiendum censuimus.

*Sane
erant
lapides.*

*Aries ad
alterum
admone-
tur opi-
dura.*

Jam senex ille patruus meus hæc vorârat; tanto minus quidquam fraudis suspicatus, quod futuram illam sponsam meam non raro adi-

adirem, meque vehementer eam amare fingerem. Erat alius quidam, nescio quoto gradu itidem cognatum se mihi ferens, ætate juvenis, opulentus, sed cautus valde, & ad rem non minus quam senex ille, attentus. Scelus nobis videbatur hunc intactum relinquere, ne aliis de mea fraude postea conquesturis solus stultitiam experire, posset. Vix orto sole tragulam quam in hunc injiceremus, adornamus. Sajavedræ trado duas cistellas, sub pallio deferendas, sic inter se similes ut discerni non possent (quarum unæ catena aurea, alteri spuria & orichalco, utraque à me Mediolani emta; inclusa erat) mecumque ad cognati illius mei domum proficisci jubeo. Surrexerat jam ille; sed adhuc vestiebatur. quod ubi mihi à familia dictum fuit, abitum fingo, post prandium reversurus. interea è famulis quidam ei indicârat me adesse, sed iterum abire. quo audito, ille vehementer indignari, exclamare, increpare omnes quod me rectâ in cubiculum non deduxissent. Sic revocatus, post mutuam salutationem & quæ in congressibus adhiberi solent ceremonias, dum vestitur. variis de rebus cum eo colloquor. inde in cœnacu-

lum deducor! ubi ille me interrogat, quid mihi vellem tam matutinus. Respondeo, ideo me venisse ut bonum ejus diei sumerem auspicium, cui præterita nox non admodum fuisset jucunda. illud vero quod rogatum te volui est, inquam, ut unum è famulis tuis, cui cor sapiat, vocari cures; cujus opera, cum bona tua venia, in meo negotio utar. Ad campanulæ sonitum advolant duo vel tres. tum quemdam Stephanum nomine ad se vocans, jubet ut mandatis meis præsto esset. Hoc te rogo, inquam ego, mi Stephane, ut cum Sajavedra aurifabrum aliquem adeas. & pondus ac precium seu valorem ejus catenæ quam Sajavedra huc detulit, exquiras. Statim porrigit mihi cistellam Sajavedra. refero, catenam inde depromo: quam bono illi mirifice placuisse, ex ipso vultu aliisque gestibus facile potui conjicere. sumit ipse in manus, artem contemplatur, miratur pondus, adeoque dejerat vix umquam sibi vel artificio similem vel pondere parem visam. Dum illi aurifabrum adeunt, variis de rebus, de nuptiis præsertim meis sermonem habemus. Reversi scedulam afferunt aurifabri manu subscriptam, precium seu valorem catenæ esse sexcentum quinquaginta trium scutorum

Ca-

*Oprecio-
sam ca-
tenam.*

Ce-
mih
adul
ctam
clau-
est,
Jan-
jus
do,
scio
fortu
meli
con-
mo-
obst
nec
inter
tem
lucr
ma-
que
desti
posit
rum
est e
quod
est.
quib
eund
enda
caus

Castellanorum, paullo plus. Petenti mihi Sajavedra illam arculam in qua adulterina erat, porrigit. Promo. inspectam aliquandiu repono, & arculam claudo. inde sic ajo: Amplius aliquid est, mi cognate, quod petere à te velim. Jam aliquot noctes cum primariis hujus urbis Nobilibus seu Patritiis ludendo, pro more tam vestræ gentis (nescio quam laudato) consumsi, varia fortuna, uti solet, fere tamen semper meliori. Eorum aliqui nuper à me non contemnendâ summâ emuncti, vadi-
monio me ad plurium horarum lusum obstrinxerunt. quod quum sine probro nec ausim nec velim deserere; fortunam interim non nesciam mire inconstan-
tem esse, & tam facile jacturam quam lucrum objicere, non velim, ut quando maxime fervet lusus, numis ego, sicque omni spe damni resarciendi unâ destituar. Apud patrum quidem deposita habeo circiter quinque ducatorum millia: sed ea vix attingere audeo. est enim Romæ mihi negocium, ad quod conficiendum illis ipsis mihi opus est. & litteras tantum Hispali exspecto: quibus allatis, extemplo Romam mihi eundum, & solutio quibus debetur faci-
enda est; modo illud beneficium, cujus causâ hoc ipsum iter mihi susceptum

V 4

fuit,

fuit, mihi aut uni ex cognatis meis sal-
 vum velim. Melius ergo facturum me
 putavi, si iis quas non paucas habeo
 ex auro & argento rebus ad necessita-
 tes meas uterer, ita tamen ne vendam
 aut alienem. Eo sine catenam hanc au-
 ream mecum attuli; cujus precium, au-
 rifabri testatur manus. Nunc illud tan-
 tum rogatum te velim, ut clam, (ne
 mihi res hæc apud alios pudori sit) sex-
 centi ducati in pignus hoc tua opera
 concilientur: quos ego, seu damnum seu
 lucrum ludendo faciam, unà cum usu-
 ra, statuto qui videbitur termino, red-
 dam. Addidi, in simili quadam occa-
 sione me alibi apud mercatorem quem-
 dam vas argenteum inauratum pigne-
 ris loco deposuisse; id vero interea tam
 male tractatum fuisse, ut receptum, si-
 ne pudore mensæ non adhiberi posset
 ministerio. ne idem vero in catena ac-
 cideret mihi cautionem esse: eoque ro-
 gare, ne in alienas manus pervenire eam
 sinat. Graviter ille se ferre simulat
 quod pro tantula re, uti loquebatur, pi-
 gnus offerrem. sed ego manum oper-
 culo incutiens, arculam claudio, sic-
 que clausum ei trado, protestans num-
 quam me quos petieram numos rece-
 pturum, nisi ipse pignus apud quem sci-
 rem æque tuto atque apud meipsum ad-
 ser-

fervari. quumque nemo exploratum
 habeat quamdiu victurus sit, æquum es-
 se ut in omnem eventum indamnis ipse
 præstetur. Amicabilis hujus contentio-
 nis is tandem finis fuit, ut recepta ad se
 catena, negotium hoc meum præ omni-
 bus curæ sibi fore promiserit. nec fides
 promisso defuit. eo enim ipso die inter
 prandium venit quidam ex ejus mini-
 stris, in sacculo sexcentos ferens ducatos:
 quos quum mihi tradidisset, jussi
 hero magnas meo nomine agere gra-
 tias. Vix ille abierat, ecce herum ipsum
 intra hospitii limen, restà ad me sese in-
 ferentem. Parum aberat, quin metu fue-
 rim exanimatus. Certe in omnibus meis
 venis vix gutta sanguinis reliqua fuit.
 neque enim cogitare aliter poteram,
 quam arculam apertam, & fraudem de-
 prehensam, eoque venire ut nondum
 traditos numos ministrum domum re-
 portare juberet, aut traditos, à me repe-
 teret. Collecto tandem animo, in oc-
 cursum propero, vultumque ejus læ-
 tum & hilarem conspicatus, frustraneum
 meum metum deprehendo, tanto cer-
 tius quum ille amantissimis verbis, quid-
 quid in sua esset potestate mihi offer-
 ret. Ajebat, aureos illos ab amico sibi
 commodatos ad usuram, sed parvum
 hoc fore damnum. Ad hoc ego verbis

quidem respondi, Parvam rem esse, pignus & sorte & usura tam parvi temporis longe esse melius: tacitus vero sic mecum cogitabam: Atqui damnum hoc multo majus tibi futurum est quam velis. Dum hæc & alia loquimur, adveniunt collusores; & post dictam salutem & quæ solent in ejusmodi fieri congressibus, à Sajavedra chartas poscunt. quibus allatis, conflictus oritur acerrimus, quo aliquamdiu spectato, abit cognatus meus, bonam mihi fortunam precans. Quia vero propediem discedere mihi constitutum erat, tam arte mea, cui fortuna insuper non parum favebat, quam Sajavedræ indiciis ita usus sum, ut paucis horis quindecim Regalium millia ad me traxeim. neque enim tum tempus erat flores, sed fructus potius colligendi. Distribui aliquid inter adstantes; Favello autem, qui paullo ante intervenerat, quinquaginta ducatos dedi, quibus dicere poteram quasi mancipium à me emtum. Dilapsis collusoribus, Favellus mecum secedens, indicat, proximam Dominicam, intra quatuor scilicet dies, profectioi esse destinatam. Ego tam maturæ & propinquæ messi falcem mihi quacumque possem immittendam ratus, omnibus illis qui reliqui erant diebus nihil aliud egi quam

qua
mihi
mihi
spon
noti
ope
mihi
tia
nas,
cis in
habe
dore
cens
mer
esse
patr
huj
aliqu
ad p
rus
com
aliqu
Sic qu
piend
(tot
ptias
tandis
di. i
Fave
cistis
Tota

quam quod litteras ad cognatos meos
 misi, quibus nunciabam constitutum
 mihi esse postridie proximæ Dominicæ
 sponsalia celebrare. quod ut tanto ho-
 norificentius à me fieri queat sperare me
 opem ipsorum quam sæpe promisissent,
 mihi non defuturam. non tam frequen-
 tia onera estate à formicis in caver-
 nas, aut apibus in alvearia, quam ab ami-
 cis in cellam meam quam in hospitio
 habebam, comportabantur. Certè pu-
 dorem nonnumquam fingebam, di-
 cens, quæcumque illa fierent, tam
 meritis quam exspectatione mea longe
 esse majora. In primis senex ille
 patruus meus, præcipuus matrimonii
 hujus, uti putabat, actor, cimelia
 aliquot, collare, cingulum, pennam
 ad pilei ornamentum, aliaque id ge-
 nus tam exquisita partim dono partim
 commodato mihi miserat, ut precium
 aliquot ducatorum millia excederent.
 Sic quum biduum fere muneribus acci-
 piendis consumsistem, sequens biduum
 (tot enim dies mihi ad discessum, nu-
 ptias scilicet meas, mihi restabant) visi-
 tandis amicis & grâtiis agendis impen-
 di. interea missa mihi dona etiam ipso
 Favello inscio, in navim comportata,
 cistis quas ibi habebam includebantur.
 Tota die Dominica sequenti hilarem

me omnibus præbui, ut nuptiarum propinquitate lætari viderer, sub vespere hospiti ajo, Abire me ad quorundam Nobilium ædes, ubi lusorium conditum sit certamen, quod si in multam lusum noctem protrahatur, forte me ibi pernoctaturum, si quidem lusus ante lucem finiatur, venturum tamen Sajayedram, si ejus ministerio mihi opus non sit. quidquid foret, cubiculi mei curam haberet. sic domo egressus, & hospiti pro eo quod debebam duas citas non preciosorum, sed montanorum lapidum plenas relinquens, per amfrætus ad litus proficiscor, in quo Favellus me exceptum in triremem deduxit; tanta in me usus posthac semper comitate quantam optare vix quisquam ausit. Roganti quomodo negotium illud meum (de vindicta) successisset, dixi me per occasionem omnia ipsi expositurum. Cenatum inde Favellus cubitum me deduxit. & quamvis omnia tam abundanter quam commode ad meum usum essent instructa, fugiebat tamen diu somnus ab oculis meis, menti semper obversantibus quæ designâram facinoribus. tandem curis lassus, in somnum delabor: quum interea triremis, soluta ora, multum in altum processisset, me ne minimum quidem strepitum sentien-

tien-

tien
run
pro
ven
pau
iri.
mo
dat
mac
In
fcire
meu
meu
der
pid
obf
petr
tes
ad
tes,
tes,
fcrep
lefici
ptus,
liatus
mulo
si pau
si ma
ri ju
fit.
ritate

tiente. Tandem in cubiculum meum irumpit Favellus, nunciâns Nolianum promontorium jam esse prætervectos: ventumque ita favere ut speret intra paucos dies in Hispaniam nos appulsum iri. Sed non semper ridet fortuna: immo sæpe quanto magis propitiam sese dat, tanto majus malum confidentibus machinatur.

In toto hoc meo itinere hoc unum scire cupiebam, quis post discessum meum sensus fuerit cognatis meis, quæ mens, quis animus. Jam videbar mihi videre hospitem meum effractis cistis lapidum conspectu tamquam Gorgone obstupescentem, adeoque ipsum ferè in petram conversum. Jam circumcursantes mihi videre videbar cognatos meos, ad nuptiarum solemnia me quærentes, ac non invento, inter se mussantes, & mihi quid acciderit sententiis discrepantes. Dixerit hic: quid si à maleficis hominibus seu sicariis interceptus, & rebus omnibus, etiam vita spoliatus sit? Alius: quid si forte ab ipso famulo clam sit interfectus? Alius: quid si paullum aliquò secesserit, tantum ut si male de ipso judicemus, tanto meliori jure postea id nobis exprobrare possit. Sed credebam eos maxime ad veritatem accessuros, qui existimaturi

V 7 essent,

essent, *Don* Gusmanum nequam fuisse, & impostorem, & cum cognatorum adscitiorum exuviis aliò terrarum abiisse, & forte cum classe Hispaniensi vela in altum dedisse. At proculdubio nemo omnium erat qui plus sapere sibi videretur quam patruus meus, ut quem penes omnes meæ essent divitiæ: ille vero cujus in custodia tam percosa erat catena, etiam lucrum fecisse sibi proculdubio imaginabatur. Sed inspectis omnibus, & deprehensa veritate, Deus bone, quot cruces digitis efformasse, quoties cælum suspexisse, quantas exclamations edidisse censes! Poterat tam hospes quam patruus meus è petris illis seu faxis tumulos sibi construere: alter vero ille conatus catenæ se appendere, & longam literam ex se facere. Hem, sic datur! Illud unum non erraverim, credo, si dicam in mente & ore omnibus fuisse: O scelestum & maledictum ventrem qui tantum PICARUM, Lavernionem, tenebrionem peperit! Sed discedimus nos, manent illi. Poteram illis tum dicere quod Toleti quidam cæcus ad alterum: Valetè dum alter alterum rursus videat.

CAPUT XIV.

In Hispaniam navigans Gufmanus adversa tempestate vehementissime jactatur: cujus vi alienatis sensibus Sajavedra in mare se præcipitat.

TAm prospera hucusque usi fuermus navigatione, ut altero post die in conspectu nobis fuerit Massilia. inde eodem vento proVectis sub posterioris diei vesperam Hispania nobis apparuit, magna cum omnium lætitia; quæ minime fuit diuturna. Tum enim aër obtenebrensens è densissimis nubibus inusitatæ magnitudinis guttas effundere, ventus vero in contrariam plagam vertere cœpit. Simul cum aëre vidisses obnubilatas omnium tam nautarum quam vectorum mentes: nec fere quisquam erat quin atrocem tempestatem vel prævideret vel prælagiret. Conveniunt naucleri & nautarum magistri. consultant. sed increbrescente vento, ad suum quisque officium dilabitur. demittitur majus velum, adstringuntur antennæ, tota navis à puppi ad proram, robustissimis funibus vincitur. Vectores,

*Mars
nulla
fides.*

mili-

milites, etiam inviti jubentur ad stationes suas & cubicula descendere, ne nautica impediunt ministeria. Tunc demum ego Virgilianam tempestatum descriptionem, quam puer legeram, recte intellexi. Adstabat clavo fidelissimus gubernator, vitam citius quam cum amissurus. hunc plerique de periculi magnitudine, de spe salutis nostræ percontabamur; ejusque verbis tamquam oraculo habebamus fidem. Vide humani ingenii cæcitatem. nemo fere erat quin verbis ejus, etiam contra animi sententiam loquentis, plus fidei quam suis ipsius oculis tribueret: quibus nihil aliud quam plurima mortis imago undique se repræsentabat. Mendacium nos pro solatio accipiebamus. Quid enim ille verum dicendo nos ad desperationem redigeret? Medici quoque de ægri salute rogati, spem semper faciunt, & Bene omnia fore dicunt. post mortem scilicet. Memini sæpe illum in hæc verba erupisse: *Ne timete. nihil quidem hoc est.* Et sane nihil illud erat præut alia quæ mox sequuta sunt. Sic cum sævissima tempestate luctantibus aliud supervenit infortunium, dum navigium quoddam de classe in pippim nostræ trimis ita impegit, ut ipsum clavum, in quo uno, post Deum, spes nostræ salu-

Vide 1.
Æneidos.

Vana solatia.

salu
erat p
sentie
duobu
mis,
nulli
que o
quæ a
quæ a
nec tu
quin ta
per to
cum
conq
in læ
bis all
magis
pinqui
major
super
magna
me qu
terreba
in port
remur.
erat, in
henso:
scieban
se, & a
pe, dur
clamass

salutis sita erat, excusserit. Majus hoc erat periculum quam quisquam nostrum sentire proterat, gens tamen nautica duobus ad puppim accommodatis remis, clavi vicem studebat supplere, ac nulli omnino parcebat labori ut se nosse conservarent. Quid tibi ego dicam quæ durante illa tempestate viderim, quæ audiverim? Sed tacere melius est. nec tu Lector, fortè ita maris expertus es quin tale quid ipse videris. Hoc modo per totam noctem jactata navi, mane cum sol & ventus mutavit, & fluctus conquiescere cœperunt; & pavore omni in lætitiâ converso, melior spes nobis alluxit. E duobus mortis periculis magis semper timetur id quod est propinquius: quod alterius vitandi tanto major spes sit quanto plus temporis superest: cujus vel unicum momentum magnas adferre solet mutationes. Ad me quod attinet, non tam naufragii me terrebat periculum, quam ille metus ne in portum unde egressi eramus rejiceremur. quid enim tum me futurum erat, in tam infamibus sceleribus deprehenso? In Favello quidem spes erat: sed sciebam & hominem, & unum modo esse, & aliis subesse. O quam lubenter sæpe, dum maxime sævit tempestas, exclamarem: Ego Jonas ille sum, cujus

*Qui
tempus
vitam
habet.*

*Saiavedra exi-
sus.*

delictum vos affligit. vobis mare non placabitur, nisi me, velut hostia, in medios fluctus abjecto. Saiavedram tale invaserat fastidium & nausea ut in febrim inciderit; ac mox alienatis sensibus, delirare cœperit. Miserum simul & ridiculum erat videre quæ extra se ille faciebat, quæ loquebatur. Reliquis in summo periculo peccata sua confitentibus, cum lachrymis & votis Deum obsecrantibus, unus ille altissima vocè exclamabat: Ego umbram sum seu anima Gufmani Alfaracii: ego umbra illa sum, per Mundum peregrinans. Hæc ego audiens risum tenere non poteram, non minus tamen timebam ne ille facinora mea, quorum fere omnium erat conscius, detegeret, quamvis id sine noxa mea fore existimarem, ut quem desipere omnes scirent: nec quisquam in tanto periculo nugis ipsius auscultabat. Vitam meam nihilominus quasi totam narrabat, multa addens quæ vel ipse fecisset vel ab aliis audivisset. Si quem audiret quemcumque locum visitandi religione sese obstringentem, eum locum se quoque visitasse, totum denique terrarum orbem mecum se obiisse dicebat. Quid multa? tantas nugas deblaterabat, ut vel mortuo risum facere potuerit. Tranquilliore jam cœlo ac mari,

mar,
mus,
labore
ca me
excub
mare
Saiav
subve
mum
pleriq
poneb
mular
prop
facior
effec.

Baro
ca
cu
ter

Secu
vis
destitu
cta ex
lim pre
dum v
Valle

mari, cubitum mature omnes concedimus, priorum dierum daſatigationem, labores & curas quiete reſtauraturi. Circa medium noctis nautarum unus qui excubias agebat, exclamat, hominem in mare decidiffe. accurritur, inquiritur. Sajavedra nuſpiam comparet. cui quum ſubveniri amplius non poſſet, ad ultimum bene precati ſumus. Et Favellus & plerique alii in me conſolando multum ponebant operæ, magnum dolorem ſimulante: ſed ut verum fatear, læo propemodum, ut cui poſthac nemo facionrum meorum conſcius timendus eſſet.

CAPUT XV.

*Barcinone Guſmanus Salaman-
cam proficiſcitur. Ibi Statuta
cujusdam novantiquæ Fra-
ternitatis edocetur.*

SECUNDO inde uſi vento, navim quamvis laceram & clavo remiſque fere deſtitutam Barcinonem appulimus. Facta exſcensione, Favello valedico, Hiſpaliſim proficiſci me ſimulans, ad exſolendum votum quod D. Virgini, quam de Valle vocant, duranne tempeſtate fecerim.

Consci-
entia
vis.

rim. Valde ille discessu meo dolebat, sed quid faceret? nec manere ibi diutius ego volebam; nec comitari ille me poterat. O quam gravis, quam irrequieta res est mala conscientia! nullum horæ vel momentum securus eram, metuens, ne cognati illi mei celoce ad me persequendum missa, æternæ infamiæ tam astutum lavernionem mancipient. Tribus ego comparatis jumentis, quorum unum me, altera sarcinas meas veherent, novoque conducto famulo, iter non quò dixi, sed quò securitas suadebat, meum direxi. Sed priusquam iter mecum ingrediaris, aliquantulum philosophari lubet. Circumforanei, qui mendacii quæ dicunt, volunt habere fidem, fontem, lacum, metallum, arborem, herbam, lapidem, aut denique scriptorem aliquem, Plinium puta, Galenum, Avicennam, Rasim, & infinitos nescio quos barbaros, multo tamen magis barbarè ab ipsis citatos, tamquam testes allegant. Pulcrum factum! Mentiuntur ipsi. mendacii testes laudant eos qui testes esse non possunt. Contra ego faciam. non mentiens, dicam mendacium. sed auctorem do Apollonium Tianeum. ille si mentiatur, ego mendacium dico. Ait, vidisse se lapidem Pantauram nomine, omnium aliorum lapidum regem: in quem unà cum

Pentauram
Lapis.

cum solis radiis omnium aliorum lapidum virtutes influant, & idem quod in illis operentur. Et quemadmodum magnes ferrum, ita lapidem hunc omnes alios ad se trahere, nec venenum tamen quod in se habet affricare.

Pentaura quid est? opes, divitiæ: in quibus omnes omnium aliarum rerum virtutes inveniuntur. elementa vincunt omnia, ima terræ eruunt viscera, stagna, atque adeo maria scrutantur, excindunt rupes. Quid tam excelsum est quod non dejecerint? quid tam humile quod non exaltarint? quid tam difficile quod non facile reddiderint? quæ tanta fuit calamitas cui illa remedium non invenerint? quod tantum periculum quod non averterint? quid illæ umquam expetierunt quod non consequatæ sint? quam legem posuerunt cui omnes non obedierint? Et quamvis non minus venenosæ sint quam ipse tot testibus celebratus, à nemine, credo, visus basiliscus, cujus vel aspectus homines necare dicitur: in seipsis tamen non minus efficax habent antidotum: licet eo paucissimi recte utantur. Ipsæ quidem divitiæ in se nec bonæ sunt nec malæ, sed prout animus ejus est qui habet. Et quemadmodum Chamæleon (de Polylo pisce idem ferunt) ejus cui adhæ-

*Divi-
ciarum
vis.*

ret rei colorem assumit : sic divitiarum virtutem aut vitium à possidentis affectu. In Arcadia lacum esse perhibent naturalium rerum scriptores, cujus aquam qui noctu biberint, in morbum incidant ; qui die, sanentur. eodem modo qui per tenebricosas & fraudulentas artes, quales sunt quæ divinis mandatis & proximi charitati repugnant, divitias corrumpunt, se suamque salutem eunt perditum : qui vero in luce, id est, per bonas & licitas artes thesauros sibi colligunt, habent unde & sibi & aliis sine ullo conscientiarum vulnere, bene facere queant. Non damnant divitiarum divitem, nec pauperem salvat paupertas. quisquis utrovise male utitur, in damnationis est periculo. Non est dives qui divitias accumulare non cessat ; nec pauper qui cupiditatibus torquetur. Veræ & genuinæ divitiarum sunt quæ etiam quum habentur, contemnuntur : quæ necessitatibus, non voluptatibus inserviunt : quæ cum bonis communicantur, & inter amicos distribuuntur. Variis modis divina providentia dona inter homines divisit. his fortunæ, illis corporis, aliis animi bona est elargita. Felicior est pauper sua sorte contentus avaro divite. Illi presentibus utenti nihil deest : huic etiam deest quod habet, sed quid dico, habet?

*Quis
vere
dives.*

habet? non habet divitias avarus, sed ab eis habetur. illi nihil parum, huic nihil fatis est. Me vide. Mendicus fueram olim pannosus, squallidus. jam dives sum, multa millia habens in oculis, precioso vestitu superbus, onustus cimeliis. & pejor tamen multo quam unquam ante. Diligentem me fecerat ante paupertas & sollertem; nunc arrogantem & superbum faciunt divitiæ. Si mea sorte acquiescere voluisssem, & cupiditatibus meis moderari potuisssem, nihil defuturum erat unde honeste possem vivere. Nunc quum neutrum facerem, ipsa mea pecunia tam corpori quam animo meo infinitos labores & pericula creavit. Eram instar rotæ quæ aquam hortis infundit, plena semper, subito iterum inanis. Pecuniam cruciabiliter acquisieram, eandem parvi faciebam, custodiebam indiligenter, & male quæsitam, pejus perdebam. immò me ipsum.

Barcinone prope egressus (ne deprehensus flagitiorum darem pœnas) viam, comitante aliquantisper Favello, Hispalim versus ingressus, mox aliud iter Salamancam versus institi; securior aliquanto, ob mortem Saavedræ, quem solum inter mortales facinorum meorum habueram conscium. Mea erant

*Pecunia
est ut quis
utitur.*

erant jumenta, quamvis non meâ pecuniâ emta; novitius erat famulus, artium mearum plane ignarus. Sic ire mihi licebat quacumque vellem, & quacumque me pedes ferrent. hodie hic, cras in Gallia, ut dici solet. Cavendum autem sedulo mihi putabam ne in quocumque loco diu commorarer. Cum vestitu indies quasi personam mutabam. Hoc modo totam illam provinciam pervagatus, Salamancam tandem perveni; urbem cum multis aliis nominibus, tum maxime bonarum artium studiis celebratissimam. Hic dici non potest quam multa animum meum & admiratione & singulari voluptate perfuderint. unum tamen prima fronte valde durum atque absurdum mihi videbatur: quod jamjam narrabo. Per urbem ambulans, forte conspexeram viduam quamdam juvenculam, mira formæ & morum venustate præditam, nobilem quoque & divitem, uti ex habitu & aliis argumentis conjectabam. Restiti. Curioso & amoris indice oculo me contemplantem contemplatur ipsa quoque. Facile illa Cupidinis sagitta istum me sentiebat. Sed nihil animadvertere se simulabat. ego interim tamquam hirundo ædes illius circumvolare non cessabam: quod illa nec ægre ferre nec valde gratum habere mihi

*Ocium
amoris
saucos.*

mihi videbatur. Saucius eram, vulnus
 tamen ostendere non audebam, nisi
 fatuis illis oberrationibus. Tandem
 quum fatuitatis meæ pertæsa timidita-
 tem mihi ipsa exprobrare & sic animo
 secum cogitare videretur: Quis hic est
 tam magnifice sese inferens, & tam cu-
 rioso oculo tamdiu me contemplans
 ardilio; forte mutus est, aut ex Pytha-
 goræ disciplina. jam duæ horæ abierunt
 quum ille oberrans fenestræ adstantem
 me hic detinet, oculis tantum loquens,
 tacente lingua. Ubi ergo abeuntem vidi,
 ad fores eam observare (exituram enim
 rebar) gradum conferre & comiter al-
 loqui decrevi. Spe frustratum me vi-
 dens (nuspian enim tum postea com-
 parebat,) in hospitium redeo: & captata
 opportunitate, ne id agere viderer, ex
 hospite percontor, quid illa mulieris es-
 set quæ in tali platea (alias simul adde-
 bam notas quibus illam posset noscere)
 habitaret. Ait ille, Viduam esse facie
 venustam, nobilem genere, divitiis tam
 suis, quam à marito relictis opulentam,
 prudentem insuper supra sexum; & mo-
 destam. Quid quæris? hoc tanto elogio
 oleum igni sentiebam additum. Pergo
 quærere: Quum tallis sit, quid causæ est
 cur non iterum nubat? Quam facilis enim
 in tam florida adhuc & lubrica ætate,

*O stul-
 tam
 curiosi-
 tatem.*

libertate gaudentis feminae est lapsus ! Respondet ille , secundas illi nuptias admodum fore damnosas , ut quæ altero post die ea omnia amissura sit , quorum ex mariti testamento , per totam vitam , quamdiu in viduitatis statu permanferit , usum fructum habeat. Hic ego exclamavi : ô duram legem ! ô rigidam clausulam ! quanto rectius fecisset ille quisquis fuit maritus , si , quod in Italia plerumque solet fieri , opimum aliquod legatum ei reliquisset , iterum nubenti dandum. Hac quidem ratione melius & viduæ pudicitia & defuncti mariti honori consuleretur , dum legitimis nuptiis turpium amorum ansæ præciduntur. Quum multa hanc in sententiam dicerem , ille , Mi domine , inquit , scis cuique regioni suas esse consuetudines. Plura scit stultus ac plus sapit in domo sua quam sapiens in aliena. Talem consuetudinem mihi nequaquam probari , malis moribus lumbos frangendos , nec legem dicendam cuius fundamentum non sit recta ratio , replicanti , respondet ille , Finem hujus consuetudinis esse non utne iterum nubant viduæ , sed ne post maritorum mortem paupertate ad infamiam adigantur. Hoc ego responso minime acquiescere poteram : sed apud animum meum cogitabam , quidnam rei esset

*Vidua
lubrico
in statu.*

esset femina. Mihi sic videbatur, nihil aptius & verius de hoc toto sexu dici posse, quam Feminam necessarium esse malum. Malum non sunt quæ malæ non sunt. Sed ubi istæ? Sed ne tamquam Pentheus Bacchis me objiciam; suas eis virtutes non invideo. meas nunc recensabo: quæ nec pauciores nec minores erant quam Tabacci. Dum hospes, factus alioqui & disertus homo & variis de rebus mecum loquitur, linteolo è caligarum pera expromto nares contracto in triremi frigore plus solito fluentes extergo: inde quod extraxeram, ut plerique solent, in ipso linteolo contemplor. Id quum vidisset hospes, ut erat homo dicax, alta & terribili voce exclamat: Fuge, fuge domine mi. absconde te quantum potes. Misellus ego, qui velut capo deplumatus & ustulatus nihil aliud expectabam quam ut veru infingerer, uno saltu post lecti cortinam me proripui, viatorem cum lictoribus adesse existimans. Ille quod malæ conscientiaë erat, simplicitatis argumentum interpretatus, multo cum risu ait, certum jam sibi esse, podagra me non laborare. simul hortatur ut prodirem. nec enim magnum esse periculum nec grave damnum in quod me ipse conjecissem. non semel postea miratus sum quod de

*Ut ti-
met male
conscius.*

fenestra non me præcipitârim. Adeo facinorum meorum conscientia & instantis supplicii metus pectus mihi percusserant. Prorepro tantum non exanimis: vultum nihilominus, quantum poteram, alacrem fingo, ne suspectum me facerem. Rogo, quid rei sit. Duos ille poscit à me solidos. depromo numum Regalem, eique objicio. quem quum ille lætus recepisset, quæro quid sibi vellet illa postulatio. Ait, Procuracionem cujusdam xenodochei à nescio quibus sibi demandatam, jussumque ut ab hospitibus in leges delinquentibus multam exigeret. eam quando jam ego solverim, posthac, ubicumque futurus essem, immunem fore. Ego, inquam, mi frater, quia pœnam jam lui, culpam mihi ostendas æquum est; à qua si purgare me, nunc quidem, nequeam, in futurum tamen cavere mihi possim. Ille, Quia, inquit, nihil dubito quin unus sis è non multis, si paucillam moram temporis ferre potes, leges amplissimæ Societatis, quas penes me habeo, ex ipsis tabulis tibi recitabo. numus ille viatoris est, & tui in Societatem hanc adscripti foramentum. Reversus, magnum secum affert librum; quem Matriculam esse aiebat eorum qui huic Societati nomina dedissent.

CAPUT XVI.

Statuta Societatis seu Confraternitatis Moropoliticæ.

INde meo rogatu sic legere cæpit :

Nos Ratio, suprema rerum omnium domina, nullius subjecta imperio, &c. considerantes plurimorum mortaliū fatuitatem, & stultitiam & peruersitatem, indies latius se diffundentem & profundiores agentem radices: ne quid inde humani generis Respublica damni capiat, modis omnibus providendum nobis existimauimus. Quem in finem visum est eos omnes qui contra nos nostrumque imperium peccare deprehensi fuerint in unam quasi Civitatem seu Societatem adscribere, & certis quibusdam adstringere legibus: quas in omnibus & per omnia sancte atque inuiolabiliter volumus ac iubemus observari.

Quoniam vero ad tuendas leges & administrandam iustitiam magistratuum tam majorum quam minorum opus est ministerio: hac in civitate pro Prætoribus seu iuridicundo Præfectis constituimus *Politiā, Curiositatem & sollici-*

itudinem, qui nostro nomine ex æquo & bono jus omnibus dicant & justitiam administrent, reos apprehendendo, absolvendo, damnando, puniendo. His Assessores adjungimus eos quibus civitatis hujus nostræ salus inprimis curæ erit, quorum singuli quanto majori zelo has nostras leges ab omni injuria vendicandas sibi statuent, tanto majores in hac Societate honores indispiscentur. Pro Fiscii nostri Advocato ordinamus Diligentiam, pro viatore Famam. Reliquos inferiores magistratus majoribus pro arbitrio constituendos relinquimus.

Quicumque soli secum loquuntur, sive domi sedeant sive foris obambulent, trium mensium spacio in hujus civitatis ergastulum compingantur: intra quod tempus si errores suos non emendaverint, & ipsorum Judicum sententiis absolutos se fidem fecerint, Morboniam eos ablegandos censemus.

Qui sive publicis sive privatis in locis, quæ vel quadratis saxis vel lapidibus strata sunt, gradientes, ipsos passus certis mensuris disponunt ac dimetiuntur, ita ut pedem non alio quam quem animo designarunt loco ponant, per trimestre eodem in ergastulo asservantur.

Qui dum per plateas cunt, prolatis
extra

extra pallium manibus, parietes quæ eunt, digitis velut depingunt seu delineant: eos Societati huic adscribi, semestri vero interea dum resipiscant, assignari; intra quod si non resipuerint, tunicam eis croceam viridis coloris fimbriis prætextam, cum pileolo ejusdem coloris argenteis tintinnabulis sonoro dari, & tamquam professos, Ordini adscribi jubemus.

Qui dum vel pila vel quocumque alio ejus generis ludo ludunt, postquam pilam aut globum jecerunt, corpus ita inflectunt uti cadere pilam vel globum currere volunt: qui item dum aliquid vident ex alto dejici; necnon qui dum malis utuntur instrumentis quibus ægre facere possunt, quod faciunt, os distorquent, linguam exserunt, aut alios deformes edunt gestus, hos omnes in Fratrum album seu matriculam referri volumus.

Qui famuli aliquò missi moram impatienter ferentes, vel ad fenestras vel ad fores currunt ac prospiciunt, persuasi forte tanto illum celerius venturum, eos errorem suum agnoscere & emendare jubemus. quod si non fecerint, magistratibus contra eos jure & legibus agendi jus esto.

Qui dum alii chartis ludunt, chartas

quas illi habent ociose contemplantur, easque mutatas volunt, etsi mutari non posse sciunt, atque ita seipfos cruciant, Societati huic adscribuntor. quod si causam aliquam seu excusationem allegent, à pœna quidem immunes sunt, magistratus tamen majores nostros venerantor, atque etiam eorum ædibus prætereuntes aperto capite honorem exhibentor.

Qui ex alto sputum emittunt, exploraturi an ad perpendiculum constructæ sint ædes; aut qui certum sibi locum designant in quem sputum dejiciant: eos errorem suum quamprimum agnoscere & emendare; sin minus, ut professos, Societati huic adscribi mandamus.

Qui iter facientes ex obviis percontantur quam longe absint ab hospitio aut loco ad quem contendunt, persuasi hac sua percontatione tanto citius quò volunt perventuros: eis pro pœna ipsius itineris, & quæ à mulionibus aut nautis exhibentur molestias imponimus: monitos interea volumus ut respiciant.

Qui dum mejunt, ipsa urina vel in muris & parietibus vel in arena & pulvere certas figuras describunt, aut scrobiculas excavare student, eos fatuitatis condemnamus, & magistratibus nostris puniendos tradimus.

Qui

Qui horologio sonante, horas non numerant; aut numerant, postea tamen statim quota hora sit quærunt, eos in civitatis hujus xenodocheum recipi & helleboro curari jubemus.

Qui vel ob avaritiam vel quamcumque aliam causam (necessitatem semper excipimus, quæ caret lege) in foro vilissimum quodque destinant & emunt, eò tantum quod vilioris sit præcii, quum non nesciant multo pluris constare Medici operam & qui è corruptis seu malis cibis nascuntur morborum remedia: eos tamquam sibiipsis infestos damnamus, & supremo Fratrum ordini adscribi volumus. Quod si errorem suum corrigere noluerint, plebano vel facellano ac vespilloni curam eorum demandamus.

Qui dum vel sub arborum umbra cubantes, vel stantes aut sedentes è nubibus prætervolantibus serpentum, leonum, aut quascumque alias figuras efformant, pro Sociis haberi volumus. illi vero qui utilitatis suæ causa Tauri, Arietis aut Capricorni signa domi suæ sibi effingunt, eos quidem à Societate non excludimus, privilegiis tamen quibus ea gauderit, tamquam indignos privamus.

Qui calceos, etiam holosericos, pal-

lio aut pileo deterferint aut expurgaverint, Fraternitati accensentor, & delicatiori vestitu ab aliis discriminantor.

Qui amicum diu non visum ita salutant: Ergo adhuc in vivis es! ergo in terra adhuc versaris! quamvis formula hæc nonnullis festiva videri possit, locum nihilominus eis inter cives seu socios hujus Fraternitatis dandum censemus: quum absurdum sit dubitare an vivus sit, quem vivum; & proculdubio in cælo non sit, quem in terra vides. horū frontibus admirationis signum literis tricubitalibus inscribi volumus, quod illi quacumque eunt secum circumferant.

Qui à foribus aliquem quærentes, accepto responso domi eum non esse, replicant iterum rogando, Ergo domi non est? ergo exivit? eos in pœnam contumaciæ damnamus: ut qui accepto responso satisfieri sibi non patiuntur.

Qui impactis ad saxum aut lapidem pedibus, vel, ut accuratius loquar, pedum digitis, illud ipsum saxum aut lapidem torvis intuentur oculis, aut conviciis etiam & blasphemis proscindunt, fatuitatis rei peracti habentor: rectiusq; ii fercerint si offendicula ejusmodi tam ab oculis quam pedibus removerint.

Qui ubi nares emunxerunt; sordes illas in strophiolo non aliter ac si margaritæ

Gal
tur
leg
stup
cur
niff
fuim
Soci
tem
anim
eter
illiu
stere
Ubi
tale
tus h
spon
num
sima
bitus
certi
diver
inqua
ibunt
tur?
unur
qui a
ad ha
adhu
ipsun

garitæ essent vel uniones, contemplan-
tur, in Collegium hoc adsciscuntor, ea
lege ut quoties hoc in genere peccârint,
stipem in xenodocheum eorum qui in-
curabiles habentur, inferant.

Ad hoc caput quum legendo perve-
nisset, uterque in tantum risum soluti
fuimus ut de loci prærogativa in hac
Societate certare videremur. Quia au-
tem infinita fere adhuc capita restare
animadvertēbam; ego vero ante no-
ctem, cujus jam aderant confinia, viduæ
illius videndæ desiderio ardebam; subsi-
stere hominem jussi, ac rogare cœpi,
Ubinam illud Xenodocheum seu Hospi-
tale esset: quæ vestigalia, vel quos redi-
tus haberet: à quibus gubernaretur. Re-
spondit ille, quum tantus sit ægrorum
numerus quantum ædium etiam laxif-
simarum, immo maximæ Civitatis am-
bitus capere non possit, nec ulli statim aut
certi redditus: totum Orbem terrarū pro
diversorio eis assignatū. Ergo ubinam,
inquam ego, prudentes degent, aut quod
ibunt, ut ne contagione hac lædan-
tur? Ille, communi, ait, ferri sermone,
unum tantum inter omnes mortales esse
qui ab hac contagione immunis sit, sed
ad hanc ipsam horam, quisnam ille sit,
adhuc nesciri: nisi quod quisque illum
ipsum se esse credat: quamvis ceterorum

*Stulco-
rum
plena
omnia.*

nemo sit qui credere id possit aut velit. Prodiisse nuper hominem Geometriæ aliarumque tam mathematicarum quam mechanicarum artium in primis peritum, qui omnes eos quos lues hæc non afflaverit, uni ovo, cum omnibus eorum facultatibus & fortunis, velit includere, & unicuique, tam laxam assignare stationem ut alter alterum ne contacturus quidem sit. Nugis ego tot tantisque offensus, Hæc, inquam, meræ sunt nequitiae: quarum stabulum stultorum Xenodocheo magnitudine nihil cedit.

CAPUT XVII.

Gusmanus stultæ procreationis pœnas dat, aureis aliquot numis à puella emunctus.

Dilata reliquorum capitum in sequentem diem lectione, novo ex elegantioribus meis sumpto vestitu, in publicum prodii, non aliter ac si Strapes aut regni essem Megistanes me inferens. Tum quidem ita mihi placebam, ut fortunam meam, seu conditionem nec cum Principis quidem statu fuerim permutaturus. In bivio quodam consistenti

sistenti duæ occurrunt mihi puellæ; quo-
rum una corpore & habitu decora nihil *Cave, ca-
ve sexto.*
vulgare præ se ferebat; altera hujus an-
cilla videbatur. Saluto. non resalutant
modo illæ, sed & ipsæ consistunt. Appli-
co me. nec illæ fugiunt. Jam illa altera
me ita rapuerat, ut occultus in animo
meo ignis accenderetur. Polliceor mul-
ta, & miras delicias facio, ut solent
amantes. nec minus liberaliter illa polli-
cetur. Inyitatus occasione (erat enim lo-
cus fere solitarius, jamque cœlum obte-
nebre sccebat) dum suaviolum, & reliqua
quæ amantes amant auferre ab ea co-
nor, pugnans illa tamquam quæ vin-
cere nollet, mira agilitate crumenam,
in qua aurei aliquot erant è caligarum
sacculo mihi extrahit ac surripit, præ
voluptate nihil sentienti. Quid enim
sentiat homo cujus memoriæ & men-
tem omnem cupiditas quasi obsessam
& constrictam tenet? Hanc prædam
illa nacta, verbis amantissimis rogat
ut missam faciam, ac si mihi placeret,
expectem jamjam redituras. Tum,
inquit illa, poteris tu domum mecum
ire: ubi facere tibi licebit quodcum-
que animo tuo collibuerit. Audies tunc
me tam argutis digitis fides tangentem,
simul tam suaviter accinentem, ut sua-
viorem vocem non audisse, & doctio-

rem manum non vidisse proculdubio dicturus sis. Ceterum quum genus mihi sit in primis honestum, & fama adhuc integra, nolim me ita in publico tecum confabulantem videri: quem ego non meo tantum, sed etiam omnium feminarum amore dignissimum judico. His dictis fidem habens, illam omitto, paulo post, ut mihi pollicebar, totam habiturus, inde ad monstratum ab illa me confero locum; ubi per tres horas continuas quasi in eodem steti vestigio, nusquam pedem amovens, ne certis signis, quæ mihi dederat, vocanti in mora essem. Tandem passum unum & alterum hac illac facio; quocumque vero ibam, aut ubicumque consistebam, duarum illarum formarum velut phantasmata oculis meis occurrebant. Quidquid audiebam, jam illæ mihi sputare, jam screare, jam aliud aliquod signum mihi edere videbantur. Sed per eas quidem mihi ad multam usque lucem expectare licuit. Suspiciens ergo me ab eis, interea forte apud alios amori operam dantibus, deceptam, indignabar quidem, non tamen vehementer: dum cogitarem mecum, si interea quid aliunde mihi fuisset objectum, id me quoque accepturum fuisse. sed & fontica causa à vadi-
monio excusari forsitan posse opinabar.

Post-

*Aman-
tibus
nihil
grave.*

*Ad
Anti-
cyras.*

Post-
fortes
vel p
revera
homi
stavi
huc
si, se
meam
bras p
videre
loqu
solen
mem
diast
cunde
ut bil
nibus
mihi
in tar
libeat
cum
ab illa
prorep
sermo
ferit.
bestio
per c
grum
dem
tu e

Postquam designatæ ab illâ mihi domus
fores signo notassent, abii quò me fors
vel potius voluntas mea ducebat. mox
reversus, quieta omnia, & ne vivi quidē
hominis signum deprehendi. Exspe-
ctavi nihilominus aliquantisper, jam
huc jam illuc oculos convertens, & tus-
si, sreatu, pedum strepitu præsentiam
meam significans. tandem per tene-
bras puellam è fenestra prospectantem
videre mihi visus sum. accedo propius.
loquor quæ amantes, vel stulti potius
solent. Ait illa, non esse quam existi-
mem. se ancillam esse, & quidem me-
diastinam. qualis qualis fuerit, tam fa-
cunde, tam amanter mecum loquebatur,
ut bihorium fere me verbis, licet ina-
nibus detinuerit; licet vix momentum
mihi videretur. Sed ehei! (quid enim
in tam gravi scilicet re exclamare non
libeat?) dum pessima puella nugas me-
cum conferit, canicula multo illâ pejor,
ab illa fortè emissa, per foramen ostii
prorepsit, tantosq; edit latratus, ut omne
sermonis commercium nobis interclu-
serit. quæro lapidem, quo pessimam
bestiolam vel abigerem, vel effugerem.
per caliginem video nescio quod ni-
grum tuberculum muro adsitum. lapi-
dem esse arbitrabar: sed è molli conta-
ctu errorem meum statim deprehen-
di.

*Nulla
calami-
tas sola,
scilicet!*

*O deli-
catum
amato-
rem!*

di. erat enim non lapis, sed ex illo lactu-
carum genere quod pueri opidani mu-
ris, rustici sepibus adplantare solent.
dum unguentum hoc excutio, manum
in ipsum impingo murum dolorem sen-
tiens, ad eum levandum, ut fieri solet,
digitos ori insero. cujus facti me statim
pœnituit. miror sane tum me omnia in-
testina non exspuisse. ut tam delicatum
bolum extegerem, strophioium seu su-
darium quæro. sed nec hoc nec crume-
na inventis, scelestissimam illam puel-
lam exsecrabar, tanta accensus indigna-
tione ut oculi ex ipso velut capite mihi
prosilirent, non tam ob jacturam quam
fetorem & tam oris quam vestium in-
quinationem. Quum interim pessimus
ille canis latratu persequi me non cessa-
ret: clausa fenestra abit puella; ego sic
unctus ad hospitium revertor. Quò ubi
veni, famulū excito, & duas situlas aqua
plenas haurire jubeo: in quarum una
manus, altera os ablui, ac frequenti fri-
ctione pæne excoriavi. Cubitum eo: sed
dormire me non sinebat tam recens sini-
stri ac foedi eventus memoria. Hinc,
cogitabam, tam docti illi sunt digiti!
certe si fidibus pulsandis tam dextri sunt
ac sollertes quam surripiendis loculis,
vix Amphioni illa aut ipsi Orpheo con-
cesserit. *Quamvis autem tam miseris
modis*

mod
mo
statu
pulc
rum.
ria.
lam
ibi no
mus.
hubeb
Ita m
fugat
retir
daba
suasi
tabat
pessu
cies.

In
alia si
tulam
tam æ
non i
damn
ad ali
diei
sed n
vesti
quem

modis ludificatus omnem amorem animo ejicere & cautius posthac mercari statuiffem: recurrebat tamen statim tam pulcrarum, ut mihi videbantur, formarum, tam mellitorum verborum memoria. Cum Plautino illo adolescente, nullam animi mentem habebam. ubi eram ibi non eram. ubi non eram, ibi erat animus. Ita mihi omnia ingenia erant: quod lubebat, non lubebat jam id continuo. Ita me amor lapsum animi ludificabat, fugabat, agebat, appetebat, raptabat, retinebat, jactabat, largiebatur. quod dabat, non dabat, deludebat. modo quod suasit, dissuasit; quod dissuasit, id ostentabat. neque, nisi quia miser non ibam pessum, mihi ulla aberat perditio perniciæ. Cum Medea dicere poteram:

— video meliora proboque,

Deteriora sequar :

Inter hanc animi carnificinam inter alia sic mecum cogitabam: Hem! si tantulam fraudem (si modo fraus fuit) tu tam ægro fers animo: quid illos quos tu non ita pridem tam nequiter & tam damnose decepisti, sensuros puta? inde ad alias cogitationes dilapsus, sequentis diei actiones, non illas serias quidem, sed mere vanas, mecum disponebam: quo vestitu vellem me induere; utrum torquem, majoremne an minusculum collo-

Cistellaria
Actus
2.

Bonum
remedium
obliviscendum
injuriarum.

circ-

circumdare ; quas plateas obire ; quibus verbis , quibus donis amorem mihi , si quæ forte objiceretur occasio , conciliare. In primis illa cogitatio animo meo occurrebat : Quid si cras in puellam illam incidas quæ tam dextre auro te emunxit , quid illi facturus es. An manum injecturus ? nequaquam. An ablatum repetiturus ? Multo minus. Quid ergo ? an gratiam ejus & amorem iterum captaturus ? Minime. Quem ergo in finem (ad id enim me stimulabat cupiditas) eam investigabis ? Sollertes manus seu digitos jam expertus , an voci quoque decipiendum te præbebis ? Abeat potius illa. in crucem fruatur raptò. Sed cur irascor ? An lupo agnus aquam turbavit ? Aurum , argentum , uniones , gemmas in Italia à te surrepta vix licet validum jumentum possit vehere : & tu ob tam paucos numos miserã illam perditam cupis ? cui procul dubio ipsa necessitas seu inopia quidquid hujus fecit , persuasit. Equidem postea quotiescumq; & hoc & alia mecum recordabar , non potui hominum deplorare perversitatem , tam graviter etiam minimas offensas ferentium : cum quibus si pari jure Deus velit agere , omnibus momentis omni pœnarum genere cruciarentur.

Albescente jam cœlo somnus demum
mihi

mihi obrepfit: quem ad ipsam usque
 meridiem produxi. A prandio egressus,
 viduam illam video fenestræ adstantem
 & manus lavantem. Optabam miser,
 ut illæ ipsæ guttæ quæ de manibus ip-
 sius cadebant, in pectus meum deflue-
 rent, ignemque quo ardebam si non
 exstinguerent, mitigarent saltem. Con-
 sisto in angulo quodam è regione, &
 amore ebriis oculis Venerem meam
 contemplor. illa ubi me vidit, dum an-
 cillis gutturnium, pollubrum, mantile
 reddit, subridens nescio quid loquitur.
 me sermonis fuisse materiam inde ani-
 madverti, quod prolatis extra fenestras
 capitibus ancillæ non minus curiose me
 contemplabantur. Tanto favore, ut in-
 terpretabar, lætus, jam mihi totum hoc
 negotium confectum putababam. Pal-
 lio infra dextram axillam demisso &
 convoluto, pileo ad alteram aurium de-
 presso, dextra manu lateri seu coxendici
 apposita, sinistra gladii tenens capulum,
 elato pectore, passibus velut cribratis,
 magnifice me infero; nusquam interim
 ab amata avertens oculos. Illa velut im-
 mota fenestræ adhærebat, oculis in me
 pariter defixis. ridebant ancillæ for-
 san ineptias meas. ego nihilominus
 conspectu meo lætari arbitrabar. Obam-
 bulabant ibidem non pauci nobiles ado-
 le-

*Omnia
 sperat;
 omnia
 tentat
 Amor.*

*Hui
 quævis
 T'braso.*

lescentes, amorem viduæ captantes. sed, me iudice, nemo erat ex omnibus cui non aliquid deesset, nemo qui mecum comparari posset. quinetiam me unum maxime illi placere firmiter mihi persuadebam, tanto magis, postquam appetente jam nocte digrediens, me potissimum respicere, adeoque innuere mihi visa est. Reversum hospes sermonibus suis seu nugis oblectare satagebat; sed nulla re quam vanissimis cogitationibus me oblectans, iussi ut cenam pararet, quod mihi foris negotium esset. Cenatus, exeo ad eundem ubi illam videram locum. O stultitiam! Paulo ante videram illam abeuntem, vidi clausas fenestras: & tamen adhuc stantem ibi & pernoctantem imaginabar. nec prius discessi quam multa jam nocte spes ejus visendæ nulla superesset. Vix digressus, duas video adolescentum catervas, seorsim incedentes. nihil dubitabam quin idem illi agerent quod ego. decedo paullisper de via, sic mecum ratiocinans: Tu peregrinus es, illi cives. tu unus, illi multi. non illi eleemosynæ dandæ gratia huc veniunt. Qui nam sint, quid rerum hic agant, tu nescis. Quid facies nunc si probe illi te depectant, aut etiam interimant? Cave tibi, Gusmane, cave. Quia tu domum redis,

&

*Optima
cautio.*

& sarcinas tuas custodis. magis id è re tua fuerit. Sic tacitus ad hospitium revolans, noctem eam jucunde admodum & bona fide dormivi. Nihil est quod amoris affectum magis discutiat & abigat quam phantasmata ejusmodi seu nocturnæ visiones. Certe hæc una viduæ illius amorem mihi expectoravit. omnium vero tutissimum remedium mihi visum est pedum via: eoque sine ulterior mora abire inde decrevi.

CAPUT XVIII.

Narrat Gusmanus quid Madriti sibi acciderit, à femina iterum turpiter deluso.

MAdritum profecturus, Complutum prius visere statui. nec sine causa, frequentiores urbes adeundas mihi censebam, ut in magna vel civium vel Studiosorum frequentia tanto melius latere possem. Alliciebat quoque ipsius loci amœnitas, quæ tanta est ut major vix optari queat. Sane nisi Aulæ desiderium pedibus meis alas addidisset, non facile umquam è tam commodo, tamq; rebus omnibus tam ad corporis quàm ingenii cultum pertinentibus abundantiam fueram discessurus. Sed cur ad fluvium,

*Omnia
cum
tempore
mutan-
tur.*

uium desiderem, quum mare uberem promittens piscatum me ad se vocaret? Veni ego Madritum. Quid quæris? Vix quidquam totius loci noram. ita erant mutata omnia. sed nec me quisquam. Clam de pharmacopola illo, qui me sportellario usus fuerat, inquiri. sed jam cum ipso omnis ejus memoria erat sepulta. Pueri in viros, viri in senes evaserant; senes erant mortui. totam totius quoque urbis faciem immutatam mirabar. Diverti apud viduam bene tractandorum hospitem valde gnaram. Totum ostiduum intra hospitium me continui, sollicitè interim futuram meam vitam disponens. Sed vicit tandem vanitas. Ad centrum quasi meum revolutus, conveniens existimabam ut in regia urbe non minus quam alibi me ostentarem. eoque duas mihi vestes valde preciosas fieri curo: emo equum, venditis mulis, & alterum in super famulum conduco. nam mihi persuaseram, sic me facilius gemmarum, quas mecum attuleram, emtores inventurum. Sic instructus & ornatus, non aliter ac Satrapes quidam per urbem magnifice me inferebam. Erat hospita mea non minus astuta quam amabilis: nec quidquam in me bene tractando omittebat. Ventitabant ad eam non pauca, tum cognata tum nota. In-

*Scipula
facile
ignem
concipit.*

ter

ter eas una secum aduxerat filiam juvenulam ; cuius elegante admodum forma captus, cœpi alludere, & amorem ejus variis modis captare. Sed quum crudam illa, immò crudelem sese ostenderet, non ignarus, donis (ut ethnici loquuntur) etiam deos flecti, paulatim eam magis propitam mihi & cicurem reddidi. sed magno amor hic mihi constabat: ut quæ jam hoc jam illud petendi nullum finem faceret. id vere tam subtiliter, tam ingeniose faciebat, ac si in PICARORUM schola mecum fuisset educata. Crocotam aliquando à me petierat è panno Damasceno undulato, serico subductam, & aureis fimbriis prætextam, quæ vœnum prostabat, à me sibi emi petierat. Id quum nimium mihi videretur, abnuo; ut qui jam ultra centū scutatos ejus amori impendissem, amabam quidem illam; non tamen ita ut ejus caussa ad mendicitatem redigi vellem. Repulsam hanc tam filia quam mater indignissime tulerunt, idque multis indiciis testatæ sunt: sed dissimulanda mihi omnia existimabam, abstinebant porrò à mea consuetudine, nec ego illas accersebam. Tandem cum ipsa mea hospita consilium ineunt, & pessimam mihi fraudem concinnant. Prudenti forte supervenit mihi Viator seu lictorum magister,

*Artes
meretrici-
cis.*

gister. Eum conspicans, intra me dicebam: Hic, credo, Samson morietur & omnes qui cum eo sunt. Ilicet, actum est. Gusmano exsequias ite quibus commodum est. De mensa exsilio. jubet Viator ut maneam, nihil capitale esse ob quod veniret. Totus in stuporem versus, nesciebam fugiendum mihi an manendum esset. jam fores, adeoque totam domum à lictoribus obsideri maginabar. Quum ergo nulla spes esset elabendi, animum quantum possum recolligo. quid sibi vellet rogo. Multo cum risu ille scedulam è sinu depromit, qua ii Judices qui de causis violatarum virginum cognoscunt, mandabant manum ut mihi injiceret. Ea perlecta, exclamo: O perjuram, ô scelestissimam feminam! mentitur illa ut centum diabolorum millia. Ad Viatorem inde conversus per omnia sacra juro, quod mihi imputetur, falsitatem esse enormissimam & falsissimum testimonium. Subridens ille, Credere se, ait, quod ego dicerem. sibi nihilominus mandatum exsequendum. sumpto ergo pallio, secum irem, ni duci mallet. Hic ego vere lupum auribus tenebam: immò ad incitas me videbam redactum. Quid enim? an sarcinas meas tam preciosas in tali hospitio, in quo hoc ipsum quo implicitus tene-

tenebam
rem?
fidere,
rum he
restaba
obtest
iret p
Hæ sol
causæ,
nec dub
in illar
Erat V
destrus
non ne
ingenia
plorata
cturum
Relictis
ribus,
illo ve
culo,
ipse vel
hæc am
coram t
sapius u
nimium
set, inter
berent
rum, &
dum de
facerent

tenebar rete mihi tensum fuit, relinque-
 rem? sed nec novitiis famulis multum
 fidere, nec illi me juvare poterant; loco-
 rum hominumque ignari. Quod unum
 restabat, se voco Viatorem. per Deum
 obtestor ne me meamque salutem
 iret perditum: & monstratis sarcinis,
 Hæ solæ, inquam, mali mihi hujus sunt
 causæ, his à pessimis insidiæ struuntur.
 nec dubito ego quin absente me omnia
 in illarum prædatrices manus itura sint.
 Erat Viator ille homo non malus, mo-
 destus & mitis: & injuriam mihi fieri
 non nesciebat, ut cui adversæ partis
 ingenia & artes jam dudum erant ex-
 plorata. Jubet ut bono sim animo. fa-
 cturum se mei causâ quidquid posset.
 Relictis apud me custodiæ causâ lecto-
 ribus, partem adversam, quæ unâ cum
 illo venerat, & in hospitæ erat cubi-
 culo, adit. quid ego peterem, quid
 ipse vellet ostendit: ut nimirum lis
 hæc amice potius componeretur quam
 coram tribunali discuteretur. Quum
 sæpius ultro citroque comeans, illis
 nimium petentibus, nihil efficere pos-
 set, interminatus nisi æquiores sese præ-
 berent, nequitiam omnem se detectu-
 rum, & coram ipsis iudicibus jusjuran-
 dum de innocentia mea daturum. Quid
 facerent? Litem male captam, multo

*Rari ca-
 los.*

pejus fundatam animadvertentes , ad ipsum Viatorem arbitrium deferunt : quem nec ego refutare audebam. Sic ille paciscitur, ut duobus Regalium milibus hanc ego vexam redimerem. Multo plus forte illæ sperârant : sed quia nihil sibi deberi sciebant , acquiescendum sibi putabant. Solutis numis , cum Viatore Commentariensem accedo , petens ut captura deleteretur , & annullaretur querela. Ducentis circiter scutatis tota hæc lis mihi constitit. Jam omnis hora annus mihi videbatur , dum in viso mihi liceret exire hospitio , nec pedem postea intuli , nisi dum sarcinas meas exportari curo. ex eo tempore rebus meis consultissimum fore duxi , si proprias mihi ædes conducerem. Cui fini indies supellectilium aliquid coëmere mihi satagebam. Possem multa dicere de usitatis inter impudicas feminas imposturis, quæ viator ille mihi, narravit. Sed manum abstinco, ne dum fraudes unius prodo, alterius dispalescat iniquitas.

CAPUT XIX.

*Gusmanus ædificatâ sibi domo,
uxorem ducit.*

Vix paucos dies in altero moratus
hospitio, propriam mihi conduxì
domunculam, eam quoque maximè ob
causam, ut sine arbitris res meas mihi
liceret agere. Primò omnium recen-
sit quasi, quæ Genua atque aliunde
mecum adsportarem, cimeliis, collare
ingentis precii (tribus ducatorum mil-
libus à me æstimatum) quod patruus *Malicia
provida.*
nuptiali illo meo die utendum mihi
miserat, rescindo, gemmas, margaritas,
aurum, seorsim quidque pono. idem
facio in cingulo, aliisque tam ornamen-
tis quam vestibus, ex quibus verebar
malæ aliquid suspicionis in me posse
redundare. Aurum vero omne (eram
namque artis hujus aliquo modo peri-
tus) in virgulas conflavi: non sine da-
mno quidem (in plerisque enim ars cum
materiae precio certabat) sed cavendum
mihi erat ne raris illis artificiis meæ ar-
tes proderentur. Inde pro gemmarum
mangone me ferens è meis illis gemmis,
margaritis, auro, monilia, in aures, tor-
ques, armillas, spinteres idque genus
Y 2 alia

alia tam muliebria quam virilia ornamenta concinnari mihi curabam. quæ vendere non poteram, aliis, præsertim novis nuptis, feneri commodabam: sicque bono & honesto titulo quod alienum erat, meum faciebam. Quid multa? si maxime uberem & quæstuosam exercuissem mercaturam, non tantum lucri, certe non tam certi fecissem. Fides mihi non deerat, quia pecunia non deerat. sed usuram tuto, quam mercaturam cum periculo facere malebam.

Non procul ab ea in qua habitabam domo solum vanaale erat, in quo nova exstruerentur ædificia. Emo tantum quantum uni domui ædificandæ satis erat. Ædes construo, & brevi tempore absolve; non tam spaciosas quam ad usum meum accommodatas. Inde plurimorum in me conversi oculi: tanto magis, quod non luxum quidem, splendorem tamen & domi & foris præ me ferrem. Hinc inductus quidam è danistarum genere, cui jam antea simili mangonio notus eram, id unice agebat ut filiam suam in matrimonium mihi traderet. Sed quid? Annon stulti qui ignotis chraissima sua tradunt pignera? Sapienter monet nescio quis, ut si filiam nuptui elocare velis, vicini eam eloces filio, cujus genus, vita, mores jam ante pro-

proculdubio .perspecti tibi sunt. Quid enim si extero ? fieri potest ut hodie ille in domo tua sit, cras ad furcam ducatur, ob perpetrata alibi mala facinora. Accipio conditionem, tanto magis quod filia juvenula, tum formæ & morum venustate non inamabills. Pro dote assignata mihi tria scutorum milia. Quia enim socer meus rerum humanarum valde erat peritus, generum quærebat non tam qui pecuniam haberet, quam qui pecunia recte sciret uti. Quid ego tibi astutiam ejus commemorem? Ter ad minimum bonis cessisse, magnasque inde confecisse opes, ipse mihi postea fassus est. Quin etiamsi quid tale mihi accideret, jam tum sibi & mihi prospiciendum putavit. Duas enim tabulas confici curavit: quarum una ego quater mille ducatorum debitorem ipse me faciebam; altera ipse debitum solutum sibi fatebatur. Alias quoque addidit: quarum una frater ipsius profitebatur se mihi annum proventum quinquies centenûm ducatorum vendidisse. Et ne perfide omnino ageret Notarius, numi ab amico eum in usum commodati, numerati fuerunt. Ego e contra aliis tabulis (Reversales hodie vocant) contractum hunc, utpote fictum, fraudi ipsi non fore cavi, hoc quidem,

dem, ut tanto plus fidei mihi in foro esset. Quum sic aliquamdiu negotiatus essem, interea vero incredibilem vim pecuniæ per luxum prodegissem, ac paulatim rebus meis dilapsis, vel potius à me dilapidatis, gravissimo ære alieno obstrictus, nec solvendo essem: advocant catervatim creditores, alter alterum prævenire studet. Sed jam socer quatuor illa ducatorum millia, quæ deberi sibi mentiebatur, aliis prærepta in tuto collocârat, nec minus frustra erant qui proventui illi annuo manus injicere conabantur, quos Judicis opimobolo correpti favore fretus, soceri mei frater nullo negotio refutabat. Me quidem in vincula duci nonnulli creditores jusserant: sed quum sumtuosam admodum litem paratam sibi animadvertent, plerique ita mecum pacti sunt ut trientem debitorum, & quidem toto decennio solverem, nonnulli etiam, impensarum tædio, & quod socer meus speciosis valde titulis quidquid haberem suum esse contenderet, ab omni actione desistebant; ita ut post septimanas aliquot carcere fuerim liberatus.

Quid quæris? tanti fuit & carceris molestias, & ignominiam (si modo ignominia est. certe apud multos non putatur) subire. Manserunt intra ungues meos

meos multæ pauperum facultates seu pecuniæ, quas illi fidei meæ crediderant. nec tamen fur aut latro audiebam. Tunc ego primum in hæc Mercurialis templi adyta à focero introductus, multa mysteria didici: sed unum hoc in primis, quam damnosæ & periculosæ sint tabulæ illæ quas Contra-scripturas vulgò appellant, quæ faciunt ut quantum quisque in bonis habeat, nemo scire possit. Sed quis illarum finis? inquis. Sic puto. Homines pauperculi, ubi animum ad Mercurialia applicuerint negotia, scientes verissimum esse quod Poëta dicit,

Quantum quisque sua numorum possidet arca,

Tantum habet & fidei :

cognatos, amicos, fidos sibi homines rogant, ut dent, faciant, vendant, renuncient, consignent aliquid sibi in manus tamquam proprium, quo magnarum divitiarum opinionem, & inde fidem sibi inter negociatores concilient: interim iis quas dixi tabulis, iisdem de indemnitate cayent. hinc, si caute procedant, facile inveniunt alios, qui magnas, majores & maximas ipsis summas credant. si res bene cedat, est quod illis gratias agant à quibus primum illud, licet fictum tantum, acceperant benefi-

Numulorum bonis'cedentium malitia.

cium: si male, adsunt iidem, & eventus
 multo ante conscii, è bonis decocturien-
 tis quidquid possunt, primi sibi vindicant,
 deinde inter se partiuntur. Nonnulli
 quando solvere nolunt (nolunt, inquam,
 de iis qui nequeunt jam taceo) quod debent,
 aliquanto ante quam solutionis appetat
 terminus, res rationesque suas vendunt,
 aut sub alio prætextu tradunt in manus
 alterius, interveniente maledicta ejusmodi
 contra-scriptura. evenit postea, ut ante
 solutionis diem debitor, à quo cautela,
 moriatur, verus interim creditor suum
 recuperare nequeat, dum ille qui ficti
 crediti larvam alteri induxit, Contra-
 scripturam occultat, sicque totum illud
 sibi servat. Alii ut opimè dotatas uxores
 nanciscantur, undique quidquid possunt
 mutuo sumunt, proque suis ostentant. &
 facile quidem inveniunt qui mutuum præ-
 stent: post nuptias vero, non sumtibus
 modo domesticis, sed usuris etiam crescentibus,
 iidem quod suum est repetunt, sicque
 illum velut Æsopicum graculum quasi
 implumem relinquunt. Sed miseri illi,
 quem damnosius deciperunt quam seipsos?
 Hac enim fraude intellecta quem animum
 putas novæ nuptæ fore? Paucissimæ
 certe sunt quæ dotem suam mariti
 exsolvendis debitis

im-

impendi patiuntur. & nec jurgia tantum hinc & contentiones perpetuæ, sed divortia quoque nascuntur. Quibus omnibus incommodis occurri posset, si tabulæ ejusmodi seu contra scripturæ publica lege abrogarentur, & tam præsentibus quam futuræ irritæ esse juberentur.

CAPUT XX.

Narrat porro Gusmanus quæ sibi marito evenerint: deq; malis mulieribus pauca disserit.

Sed cho! numquid desipio qui tam intricato labyrintho pedem inferam, cujus strophas & amfractus quasi per transfennam tum primum cœpi inspicere? Quanto melius fecissem, si jucundam aliquam fabulam tibi narraissem? Credo equidem hanc tibi magis placituram fuisse. sed non tam jucunda quam utilia persequenda sunt, nosse autem ejusmodi stratagemata in primis ad vitam conducibile puto. Ad rem. Carcere liberatus, ad instar ranæ illius Æsopicæ mirum in modum me inflavi, ac fere majores quam antea spiritus gessi: quamvis curtæ mihi supellestilis optime conscius reliqui aliquid mihi

factum fuerat : sed multo minus illud erat quam voluissem , & quam mihi esset necessarium. Ad magnum onus ferendum magnæ vires requiruntur. Qui arenæ præaltas turres inædificant , tandem cum ipsa structura corruunt. Hei quam multis opus est iis qui matrimonio nomen dant! Quanti sumtus in ipsas nuptias faciendi ! Videas nonnullos hoc uno ita rationes suas conturbare , ut sortem omnium suarum facultatum in periculum conjiciant ; & non diu post inopia circumveniantur. Qui emit quo opus non habet , vendere postea cogitur quo opus habet. Quid profunt homini mercaturam facienti tot tantaque cimelia cistis inclusa , quæ nec ipse , nec uxor , nec liberi , sine rubore in publico gestare possint vel ausint ? Erat uxor mea delicate admodum à parentibus educata ; eas vero artes quæ matrifamilias necessariae sunt , parum edocta , somnum in multum usque diem producebat. Inde è lecto prærepens ad speculum se comebat , expoliebat , nec meis tantum , sed aliorum quoque oculis sese ornabat : rei domesticæ cura interim ancillis permessa. quod reliquum erat temporis , comestationibus , vicinorum visitationibus & infinitis aliis nugis consumebatur. Ego nihilo minus
quam

quam illa bonus eram socius, sed malus paterfamilias. Monstratis à socero artibus multum lucri faciebam; quod tamen omne domi ab uxore, foris à me non minus turpiter quam acquisitum fuerat, profunde batur. O stultitiam, immò insaniam humani ingenii! Mille artes, mille modos comminiscabar quibus alienam pecuniam ad me pertraherem; pertractam tam nequiter perdebam, immo me ipsum. Nam si illi qui magnas easque legitimis etiam modis acquisitas possident divitias, iis tamen non ad sublevandas pauperum necessitates, non ad charitatem proximi (quæ sola utramque divinorum præceptorum implet paginam) sed ad luxum aut Mundi vanitates abutuntur, gravissimas Deo olim rationes reddent, adeoque pœnas dabunt: quid illis futurum putas, qui nequiter parta multo nequius dilapidant? Quanto cum animæ periculo accumulentur divitiæ, pauci sentiunt, ac fere non nisi in agone mortis. iidem tamen si verum fateri velint, quanto plus opum tanto plus curarum, laborum, anxietatum paratum sibi fatebuntur.

Sed audi, quod ego olim è concionatore quodam audiivi. Aiebat picturam sibi visam: in qua dives quidam epulo, mensæ exquisitissimo apparatu instru-

*Male
parta
male dis-
labun-
tur.*

*Nimis
scita pi-
ctura.*

etæ assidens depictus erat, assidente ad dextriam Thraſone, ad ſiniſtram Sannione. infra hos ruſticus aratrum tenens. Prope hunc Mercator plenam oſtentas crumenam. inde ſequebantur Advocatus, Confefſarius, Medicus, denique Sathanas cum catena è linguis hominum velut conſerta. Diviti illi epuloni adſcriptum erat: *Hos duos ego ſuſtento.* Ruſtico: *Tres iſtos ego alo.* Mercatori: *Quatuor iſtos ego deprædor.* Advocato: *Quinque iſtos ego deplumo.* Confefſario: *Sex iſtos ego abſolyo.* Medico: *Septem iſtos ego occido.* Sathanæ: *Octo iſtos ego concatenatos mecum in infernum trabo.* Nihil hoc ad bonos. ad malos tantum. Tu ſi inter illos, ne ringere, ſed ride.

Ais, an ergo divitiæ malæ ſunt: nequaquam. ſed nec bonæ. qui divitias habet, dives tantum dici poteſt: nec ulla propter eas laude dignus eſt, niſi iis recte utatur. Sed quid ego vel pueris ridendum me propino? Hodie enim

*Quisquis habet numos, ſecura naviget
aura:*

Fortunamque ſuo temperet arbitrio:

Vxorem ducat Danaen; ipſumque licebit

Acriſium jubeat credere quod Danaen.

*Carmina componat, declamet, concrepet,
omnes*

Et peragat cauſas, ſitque Catone piror.

Iuri-

*Iuriconsultus PARET, NON
PARET habetor,*

*Atque esto quidquid Servius & Labeo.
Multa loquor. quidvis numis presentibus
opta,*

*Et veniet. Clausam possidet arca Iovem.
His moribus hodie vivi; hæc præcep-
ta inculcari, scio:*

*O cives, cives! quærenda pecunia pri-
mum:*

Virtus post numos.

Sed fremant, fremant licet quantum
velint numati illi Polyplufii: numquam
efficient, nisi virtute insuper ornati
sint, ut vel hilo meliores habeantur. In-
strumenta virtutum esse opes possunt;
virtutes esse non possunt: nec sollicite
nimis quærendæ, nec stulte abjicien-
dæ. Non inepte quidam rogatus quam
dives esset, Nihil se debere respondit.
O ter miseros illos qui in Danistarum
manus incidunt! nulla gangræna tam
cito, tam crudeliter corporis membra
depascitur, ut usuræ opes quantascum-
que. Magnum vectigal est parsimonia:
quæ scra nimis infundo.

Fui ego non ita pridem dives. tam
cito pauperem me factum ipse mirabar.
Sed vitam meam replicanti facile totius
mali fons & origo apparuit. Futuras
meas actiones animo ordinabam sem-

per, re ipsa numquam. Procrastinabam omnia, mihi fidebam: sic cogitans, posse me alios mendacio decipere, non me ipsum. Ah quantus error est sui confidentia! etiam Dei obliuiscuntur tales. hinc non fortunarum modo, sed & animæ iactura. neminem ego capitaliorem habui hostem quam meipsum. Meo iumento, quod dici solet, omnia mala mihi advexi. Ulciscabantur se ipsa mea flagitia. Nimirum quibus rebus Deum offendimus, iisdem à Deo punimur. Non quidem illud me valde animi angebat quod omnibus divitiis eversum me viderem, quas sciebam cum Fortuna venire cum eadem abire: sed hoc cor meum macerabat, quod unde solatium petere debebam, inde maximæ mihi molestiæ & cruciatus exhibebantur: ab illa, inquam; quæ me opibus florentem tanto ambitu maritum conciliârat. hæc eadem jam non contemnebat me modo, sed etiam persequebatur, non aliam ob causam quam quod pauper eram. quinetiam publice tamquam adulterum traducebat, aliorumque facinorum accusabat, divorcium quærens. nec deerant è Legulejis qui causæ ipsius patrocinentur, allegatis nescio quibus legibus & paragraphis. O dolorem vere crudelem! Ut enim matrimonium semel contra-

ctum

*Nil
gravius
male
mulieris
conversione.*

ctum insolubile; ita male contractum, intolerabile est. Ad instar ruinosæ domus est mala mulier undique perpluentis: & quanto diligentior fuit & prudentior in administranda re familiari, tanto magis obbrutescit ubi à virtute discesserit. Ad comminiscendum è vestigio mendacium quid femina sollertius? Dici solet, Deum esse aut bestiam qui vitam vivit solitariam: ego vero jurare ausim nullam solitudinem tam tædiosam tam molestam esse quam malæ mulieris contubernium: quo qui uti cogitur, næ ille cum bestiis vivere malit. Quum uxorem ducerem; dives eram; uxoratus, pauper. nuptialis ille dies meus lætus fuit amicis; at reliqui omnes in conjugio exacti mihi tristes & acerbi. Absumtis repotiis, illi domum quisque suam iverunt, me domi meæ mediis in miseris, quæ non multo post sequutæ sunt, relicto. Erat uxor mea non tam liberalis quam prodiga. ego ad sufficiendos sumtus, numquam inanis domum redire audebam: unde non pauci mihi commissi errores. ubi vero omnis ille commeatus interclusus fuit, tantum non insaniebat. quum nihil amplius esset unde vitam sustentaremus, supellectilia vendere cœpimus, quod illa non ferens sic à mea consuetudine abhorruit,

ut

ut adspicere me non sustineret, non meæ blanditiæ, non patris monita, non cognatorum exhortationes in gratiam illius me poterant reducere. Pacem illa in nostra discordia, & suam quietem in mea inyeniebat inquietudine. non ad communem mensam, non ad communem lectum veniebat. Quid multa? sic mecum vivebat ut viventem ac videntem excarnificaret. Sunt, credo, feminæ quædam quæ animi tantum causa, & vanæ cupiditatis explendæ nubunt desiderio; putantes forte idem esse matrimonium contrahere & domum conducere: quæ si commoda rebus tuis sit, bene sit: sin minus, facile adhiberi possit remedium. quodnam illud? divor-
tium. cui impetrando qualiscumque occasio & duo falsa testimonia satis futura sint. Quod si mulier formosa sit & venusta. Sed, ohe! nihil addo.

*Divor-
tia peri-
culosa.*

Illud tantum Advocatos, Judices monendos censeo, ut ejusmodi in causis oculos aperiant & caute procedant. Qui enim sanctum hoc vinculum solvunt, quid aliud faciunt quam quod diabolo fenestram aperiunt, & mariti honorem, nuptæ animam, & utriusque fortunas perditum eunt? Sed viderint illi. quid ad me? Equidem illud bona fide affirmo, nullam à me his dissidiis, his rixis, huic divor-

divor-
causa
meam
super
recte
tanta
his tan
gatum
tos eff
mum
crum
etiam
si post
beat,
naso d
simæ!
stis, no
nissim
deside
yitis?
las ta
miseru
Non i
quam
quem n
tis, am
ego qu
re. Ba
ex infa
vobis h

divortio causam datam : nisi sufficiens
 causa sit, pauperem esse, quamquam
 meam ego paupertatem ipsi huic meæ
 superbæ uxori debebam. Sed quando
 recte cogito, Deus, Deus erat, qui tot
 tantaque mea delicta gravi quidem, il-
 lis tamen impari pœna coercerat. Vul-
 gatum est proverbium, Marito duos læ-
 tos esse dies. unum quo uxorem do-
 mum deducat: alterum, quo ad sepul-
 crum domo efferat. pejus illud quod
 etiam vivi uxoribus mortui sunt : quos
 si post nuptias roges, quomodo se ha-
 beat, quomodo gerat maritus, obturato
 naso dicent, *Quatriduanusest. fetet.* Ah pes-
 simæ! Cur lapidem quem vivo imposui-
 stis, non devolvitis. Cur miserum vani-
 ssimarum vestrarum cogitationum &
 desideriorum linteis insutum non sol-
 vitis? Siccine qui impositas fert clitel-
 las tacet & onus vehit; qui imposuit,
 miserum inclamat & stimulis fodicat?
 Non illud in memoriam revocatis;
 quam multis modis, quam anxie ejus
 quem nunc tamquam cadaver abhorre-
 tis, amorem exambieritis? Sed stultus
 ego qui rationibus vobiscum velim age-
 re. Bacchæ bacchanti si velis adverbium,
 ex insana insaniorem facies. Vestras res
 vobis habete, & Valet.

*O fasti-
 diosa.*

CAPUT XXI.

*Uxore mortua, Gusmanus Com-
plutum proficiscitur, litteris
operam daturus.*

*Grave
pondus
uxor.*

Alunt, nescio quem in periculosa
admodum maris tempestate depre-
hensum, jubente nauclero ut exoneran-
dæ navi vectorum quisque quod gra-
vissimum haberet, in mare projice-
ret, uxorem comitem arreptam præci-
pitasse, pulcherrimo dato jurejuran-
do, nihil se gravius, nihil onerosius in-
ter omnes suas sarcinas habuisse. Melior
mea fuit fortuna, ut cui mors illam per-
petuam crucem domesticam subtraxit.
Credo equidem ideo illam mortuam,
quod vivere non posset ut volebat.
Quidquid hujus fecit, sane me non in-
vito fecit. Eâ sepultâ, dos ad patrem re-
diit, unde totus quasi nudus ego resta-
bam. nam etsi viva uxore ne digitulo
quidem dotem attingere atderem; erat
tamen aliquod quasi paupertatis nostræ
velum. Vetus est, à stulto uno saxum
levi motu impulsum è monte deturbari
posse, quod postea ab omnibus sapien-
tibus eodem reportari nequeat. Meam
certe rem omnem una muliercula ita
conturbaverat, ut ei restaurandæ no-
vis

vis mihi cognatis, novis patruis, altera Genua, altero Mediolano, altero denique Sajavedra opus esset. Quanto tardius bona temporalia adveniunt, tanto celerius abeunt. cum tempore colliguntur; ex tempore disperguntur. Vicissitudini omnia sunt obnoxia. non securus sit dives? nec desperet pauper. Tam ad summa quam ad ima Fortunæ rota vertitur. Vidi ego uxoris meæ luxu omnem meam domum brevi exhaustam: potuisset tamen illa post mortem suam meis rationibus aliquo modo consulere, si partem aliquam dotis mihi legasset. Sed tam hic quam aliis in rebus non illa solum sed ipsa quoque Fortuna male mihi volebat. in solis furtis & meleficiis infeliciter felix eram. Et hæc quidem diaboli est malitia. Favet faventibus, & facilem viam ad peccata sternit: sed ad summum productos præcipitat. Longe aliter Deus nobiscum agit, nullum malum immitens cui non boni aliquid conjunctum sit. Per angustos & salebrosos tramites nos ducit ad latissimum lætissimumque gloriæ & veræ lætitiæ campum. Calamitatibus circumventi, à Deo nos desertos arbitramur. Absistit quidem ille aliquantulum. nusquam à nobis discedit; tamquam pater filiolum nondum firmis

mis pedibus gradi finens : ubi lapsabun-
 dum viderit , mox in auxilium accursu-
 rus. Memini Madriti puerum me vidisse,
 supra ætatem sapientem. Educabatur
 hic non quidem à matre sua, sed à nobili
 femina , quæ fere plusquam materno
 amore puerum complectebatur. Natus
 erat Granatæ , ubi uvularum quoddam
 genus est quod Corinthium appellant ;
Tavies vulgo , quibus ille esitandis erat
 assuefactus. Eas quum sæpe frustra po-
 poscisset , matrona vero nullas esse re-
 spondisset ; alias videns , non tam deli-
 catas illas quidem , sapidas tamen , Er-
 go , ait , mea mater , da mihi de
 majusculis illis. nam & hæc esito. Idem
 mihi accidit. Delicate hætenus vixi.
 nunc quidvis palato meo boni consu-
 lendum erat. Sed illud optimum erat,
 quod jam omnibus assuefactus essem.
 O quam bonum condimentum est fa-
 mes ! Apage istos homines , qui ubi quid
 palato , non dico ventriculo (hujus enim
 pluris inter est) minus gratum comede-
 rint , ægrescunt statim & Medicorum
 pharmacopolarumque auxilia accer-
 sunt. nihil tale mihi accidit. ventriculo
 meo nihil male faciebat nisi quod in
 eum non descenderat. Quam multos
 ego vidi , dum opibus florent ad omnem
 fere cibum nauseantes , eosdem accisis
 opi-

F
 opibus
 quis ju
 facit ar
 bovem
 viverem
 vivente
 socerur
 ædificat
 que preo
 dere : ta
 cipis in
 semper
 castra
 liminia
 quidem
 tarem ,
 annorur
 re inven
 fieri pete
 trica !
 litem m
 sibi ann
 debet R
 ab omni
 debatur.
 ritum sic
 cessitate
 medium
 lemini ta
 privilegi
 formula.

opibus, tantum non glandibus & sili-
 quis jucundè vefcentes! Nimirum ufus
 facit artem, aiebat nescio quis, terebro
 bovem excorians. Quum non effret unde
 viverem, (pleraque enim supellectilia
 vivente uxore erant vendita, & dos ad
 focerum redierat) ædes meis sumtibus
 ædificatas vendere constitui, earum-
 que precium litterarum studiis impen-
 dere: tanto magis quod jam olim prin-
 cipiis imbutus, mihi licet transfugæ,
 femper tamen per ocium ad Musarum
 castra respicienti, facilem velut post-
 liminiarem receptum pollicebar. Et ita
 quidem rationes inieram, ut nisi exorbi-
 tarem, ædium precium in multorum
 annorum mihi sumtus sufficeret. Emto-
 re invento, adeo magistratum, tabulas
 fieri peto. Sed ô Deus bone, quæ ibi
 trica! Jam soli à quo emeram dominus
 litem mihi movebat: ajens, è reservato
 sibi annuo reditu mille & quingentos
 deberi Regales. Absurdum id mihi &
 ab omni ratione & justitia alienum vi-
 debatur. Sed quid facerem? Quum ir-
 ritum fieri nollem contractum, & ne-
 cessitatibus meis necessarium esset re-
 medium, solvi quod poposcerat, so-
 lemni tamen (cum mendicitate ejusdem
 privilegii) Protestationis interposita
 formula. Confectis quos poteram nu-
 mis,

*Iniqui-
 cas in
 contra-
 ctibus.*

mis, virum adeo Religiosum, eique animi mei mentem aperio. unde ille captata occasione, hæc præcepta mihi tradidit.

Mi fili, ex propria confessione longe à vero & recto te deviare facile intelligo. *Memento creatoris tui in diebus juventutis tue.* Verba hæc sunt Sapientis, qui idem his verbis floridæ ætatis homines monet: *Letare adolescens in juventute tua, & scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Et certe non fæx, sed flos ætatis Deo debetur. Ecquid enim? Quis est cui exploratum sit se ad vesperam usque victurum? *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur quæ non revertuntur.* Quidquid super terram, in terra & subtus terram est, mortis sunt instrumenta: quæ quancumque venerit, coram illo te sistet tribunali à quo non datur provocatio. *Memorare novissima, & in æternum non peccabis.* Inprimis illud vide, ne ad quævis habili tuo abutaris ingenio, sed quantum quantum est, bonarum litterarum applices studiis. *Ocium fuge, pulvinar Sathanæ.* Bonis te adjunge: & bonus censeberis. Vitato quibus nigra est cauda. *Tempus omnibus rebus preciosius, & male impensum puta quod litteris aut virtuti non impenditur, &c.*

Hæc

Hæc aliaque multa (quorum , ut ve- Non
mucos
pellam
Ethi-
ops.
rum fateor statim digressum me cepit
oblivio) inculcanti , promitto frugi me
futurum , omniaque diligenter observa-
turum . Socerum quoque odii : sed ille
nullis nisi quæ ad rem faciendam specta-
rent præceptis me instruxit . Quum ta-
men collybo seu cambio opus mihi esse
intelligeret , ita mecum egit ac si omni-
um mearum fortunarum reliquiis me
evertere , easque ad se derivare statuisset .

CAPUT XXII.

*Quæ sibi Compluti acciderint
narat Gusmanus.*

Complutum quum venissem , etsi rei
familiaris administrandæ jam essem
peritus , non ignarus tamen quantum
tædii , ac sæpe damni , domesticæ adfer-
rent curæ : certo precio mensam mihi
apud Magistrum quemdam plures alen-
tem Studiosos , destinavi : ex eo inquam
hominum genere , quibus in mensæ
assidentibus capite , cibos spurcis digi-
tis & unguibus truncatos inter commen-
sales distribuere mos & jus est . O quæ
ego tum vidi ! quæ passus sum !

Carnes illæ tamquam glomum è pa-
tina suis struthiocameli quam hominis
simi-

*Studio-
sorum
v. ita.*

similioribus unguibus extrahebat, placentas tamquam vitulinum extendebat corium. quid ego de jusculis dicam? in quorum fundo non minus quam in limpidissima aqua vel teruncium vidisses. nullum certe ex Argi erat genere. Pifa, ciceres, lentes si quando cocta apponebantur, tenere risum non poteram, quum veniret in mentem Virgilianum illud,

Apparent vari nantes in gurgite vasto.

E maturis arborum fructibus quaterna apponebantur cerasa, pruna bina vel trina, binæ ficus. Uvæ in minutas valde partes secabantur, ut singulæ vix fenos haberent acinos. Jam caseus in tam tenuas dividebatur laminas, ut aranearum telis viderentur similes. Ne vero existima, omnia illa singulis prandiis aut cenis apponi solita, non, non, inquam: sed ex his omnibus unum tantum apponebatur. In hoc vero bonus ille Magister dicebat nihil aliud à se spectari quam valetudinem nostram: quæ merito sibi curæ esse deberet. nemo tamen ex nobis erat qui non omnibus votis talem Æsculapium ad inferos amandaret, ut cenam ibi mortuis coqueret. Alio tempore medius apponebatur cucumis: aut tenuia melonis alicujus segmenta, Potuisses hic dicere: *Modicum,*

Sed

se
ma
Jur
quib
cipu
potu
num
vero
perag
suum
Oculi
tias ag
com
ad p
vestes
gistrum
nis pra
Agant
dum
est. n
gratias
M. Aur
varæ)
agrestes
bus & c
seu ven
multo a
sint ad
venire &
quanto
hebetior

sed non bonum. Quid ego de Quadragesima dicam, aut aliis esurialibus diebus? Jure sane esuriales appellare poteramus; quibus etsi aliàs quoque, tum tamen præcipue esuriendum erat. Atque utinam potus saltim bonus fuisset, vinum non vinum erat, sed vappa, immò lorum. Tanta vero celeritate tam prandia quam cenæ peragebantur, ut Judæi numquam majori suum pascha manducârint. Vix Magister Oculi omnium oraverat, ecce statim *Gratias agimus* intonat. Memini quemdam commensalium quum serius aliquanto ad prandium venisset, & interim dum vestes deponit (æstas enim erat) Magistrum audiret verba gratiarum actionis præeuntem, manu mensam pulsans, Agant, inquit, gratias quibus commodum est: mihi nondum commodum est. neque enim adhuc scio pro qua re gratias agere debeam. Allegabat ille ex M. Aurelij (credo ego, Antonii Guevaræ) nescio quibus libris, rudes & agrestes homines rationes cum debitoribus & creditoribus, non cum stomacho seu ventre ponere. Solos sapientes à multo abhorreere cibo: ut tanto alacriores sint ad studia. Pinguedinem porcis convenire & equis, maciem hominibus: quî quanto obesiores sint corpore, tanto hebetiores sint intellectu. nec ad cor-

*Mira
abstinerè
tis in vi-
ctu per-
suasio.*

poris exercitia prodesse, sed obesse potius obefitatem, &c. vulgari denique illo dicto omnem suam disputationem clauderat; *Plenus venter non studet libenter.* Assentiebar ego talia differenti, ne ille mihi negaret quod multo est verius, Exiguum scilicet & malum cibum morborum esse seminarium. O quam molestus interpellator est venter famelicus! quem frustra verbis coneris pascere. caret auri- bus. Tam in hac quam omnibus aliis rebus medium tenent beati. Ex præcepto Ciceroniani Catonis, Tantum cibi & portio- nis adhibendum ut recreentur vires, non opprimantur. Noveram ego contuberniorum illorum mores. sed & illud cogitanti, quid dicturi sint homines si me videant hirco barbatiorem & tam magnum asinum puerorum gregi immistū. satius videbatur, proprium conducere cubiculum, & mea quadra vivere. sed & mox hoc quoque displicebat consilium, verenti ne hæc ipsa libertas ad priora relabendi flagitia occasionem suppeditaret. Dedi ergo me in tale contubernium, in quo ceteris omnibus curis liber, solis literis totus vacare possem: tanto minori cum verecundia, quod nonnulli in eo essent ætate mihi non valde impares: magni parvis, ut pisces viciæ, permisti. Ne vero fame mihi percundum esset, commu-

nis mensæ defectum privato supplebam penu, ipso quoque Magistro non invito: qui quotiescumq; à nobis ad convivandum averferetur, posito Magistrali supercilio, cibum nostrum non aspernabatur.

Jam totam fere encyclopædiam absolveram, tam jucundam interim vitam degens, ut peream si umquam jucundius me vixisse meminerim. Ubi, quæso, major est libertas? ubi major quies? ubi tam honestæ voluptates, tamque utilia animi ac corporis exercitia, tam laudabiles recreationes? ubi tam amicæ concertationes? ubi disputationes tam acutæ? Sed chei! quam multi & patrimonii & ipso tempore, cujus jactura est irreparabilis, ad res malas abutuntur! Hinc quidam non tam libris quam liberis dant operam: non tam Apollinē & Musas, quam Bacchum, Cererem & Venerem colunt. Sed quæ alii faciant narrare mihi nec animus est nec ocium. quid mihi acciderit dicam.

Studiorum errores.

Quum die quodam sudo ac sereno admodum cælo invitante, animi causa deambulatum prodiissem, forte video lepidissimam tam feminarum quam puel-
larum turbam ad ripam fluvii sub pandæ cujusdam arboris umbra recubantium, & explicato quem secum attulerant penu, genio indulgentium. erat verò vidua, tribus comitata filiabus, quarū major natu

Occasio facit suam.

Gratia vocabatur; quibus aliæ aliquot puellæ sese adjunxerant, venustæ omnes: inter quas tamen Gratia illa tamquam sol inter stellas elucere mihi videbatur. accedo pudenter admodum. invitator ab omnibus humanissime, ut qui per totam civitatem tam doctrinæ quam divitiarum opinione, notus essem; ac licet aliquantum tergiversarer, expugnari tandem me patior, & ipsi illi Gratiæ adsideo.

Vt vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

*Formosa
deserit
picio.*

Quid formam ejus commendem? Frons nec lata nec tenuis, oculi nigerrimi, & fixiori obrutu natantes quasi & liquefcentes, crines summa sui parte aureoli, sed infra ad superciliarum accedentes colorem. facies exquisiti candoris: è quo rubor virginalis ille genarum pictor tenuiter elucebat. os angustum: quod rubente utrimque labellorum purpura distinctum, dentium candor quoque plurimum commendabat. totum corpusculum vesicum, solidum & succi plenum. Papillæ modico orbe cohibitæ, instar marmoris consistentes: quas sororiantes tenui carbasso illa leviter obduxerat. Quid multa? Veneris myrothecium, & leporum atque elegantiarum omnium meram dixisses effigiem. Procedente convivio, fides illa sumit, vocemque simul explicat, tam scite, tam suaviter, ut ipsas feras, immò

immò arbores quoque & saxa, quod de Orptheo dicunt, movere posset atque illicere. Me quidem illa ita rapuit, ut totus quasi extra me essem positus, ac licet non femel alloqui eam mihi esset animus, in ipsis tamen labiis Amor mihi verba velut suffurabatur. Nocte appetente, consurgimus. & ego quidem Gratiam mea manu amplexus, ad matris domum deduco. Ubi illa affectum meum simul & pudorem animadvertit, de industria nescio an fortuito, pedem ad lapidem impingit. Pronam ad lapsum excipio, & tenacius brachiis adstrictam erigo: osculum interim clam dum ita corpora combinamus, suffuror. manum inde ejus & digitos artiuscule stringo. ad quod illa subridens, Stringe, inquit, utcumque velis, nullum certe hinc succum expresseris. Jam multo lentiore illa, la stitudinem simulans, incedebat gradu, ita ut totus comitatus nos à tergo reliquerit: unde liberius loquendi nactus occasionem, amorem ei meum aperio. sed pessima risu tantum ineptias meas prosequabatur. Erat mater ejus mulier astuta admodum. Generos ipsa, filia maritos quærebant. nec illi nec his ego displicebam. eoque facilis mihi in domum earum permittebatur aditus. Introductus in sellam considere & paulum quiescere jubeor. erat vero

*Avidæ
mentes
facile in-
flam-
mantur.*

*Paella-
res astu-
tia.*

ipsum cubiculum eleganter satis apparatus, & omnis generis suppellectili instructum. Mox è cista promit mater mantile candidum, filiarum una è cella haustum vini; altera è penu scutellam uvis passis plenam adfert. sed utinam quis tum mihi è Lethe fluvio aquam apportasset, quæ ignis cor mihi amburentis flammam extinxisset! Discedens, pro singulari comitate qua me & foris & domi exceperat, gratias ago maximas: rogans, ut eodè me in posterum favore dignarentur, & propediem redeuntè non repellerent. Ajunt illæ, meæ humanitati se multum debere. reditè quam audacter. re ipsa non ingratas expectaturum. Sic discessi, & non discessi.

*Tibi
imputa.*

Animum enim ibi reliqui, à me ipso fugientem. Ah quam misera illa mihi nox fuit! E quanta tranquillitate subito in maximam tempestatem sum conjectus! Scholas adibam: sed sine animo. ille enim ubi dixi remanserat. Edebam, bibebam, sine ullo sapore. mirabantur contubernales. clanculum inter se mussabant, quid mihi accidisset solliciti. nescio quem morbum suspicabantur: sed respondi ego, nullo me corporis teneri morbo; animum tantum nescio quid præ sagire mali. Ajebant illi, melancholicis me agitari humoribus. recte facturum si pharmacis (& hic quidem hoc, alius aliud describebat) corpus

pus expurgarem. Lecto quum incubissem, pronus os & oculos in pulvinum abscondo, ne gemitus mei & suspiria contubernali exaudirentur. lacrymis etiam mœrorem aliquo modo egerebam. Illud quidem tum expertus sum, nullum prodesse exercitium quod non continetur. Ut enim si situlam ad summum putei os perduxeris, ac funem vel paullum è manu amiseris, ita situla & omnis labor ad vanum redit; & vestis etiamsi ceteris partibus bene consuta sit, in extremo tamen filum nullo nodo adstrictum hæreat, paulatim tota dissuitur: sic litterarii conatus nisi strenue & sine interjectione urgeantur, infructuosi tandem evadunt.

Me miserum! sicine unius horæ neglecta lectio omnem studiorum meorum cursum sufflaminavit, stitit, interruptit! O infelix nimium ambulatiuncula, quantum perniciem, calamitatem, vastitatem studiis meis attulisti! Verum ita est, facile arida spongia ignem concipit; madens, numquam. non erat vero Dei timore imbutum cor meum, sed in vanis rebus penitus defixum. Quid mirum ergo quod tam facile seducendum se præbuit? immo suam perniciem ultrò quæssivit. Non jam ego de schola, non de lectionibus audiendis cogitabam. unum illud meam mentem, meas cogitationes, meas

*Timor
Dei unius
cam vi-
tiorum
amela-
cava.*

curas occupatas tenebat, quomodo Amata potirer. Jam Amor suæ me adscripserat Matriculæ. Domus Gratiæ schola mea erat: Gratiæ Rector meus: Gratiæ gratia, ac venustas meus Magister: Gratiæ voluntas, meorum studiorum cursus. O insalubrem mihi merendam! quæ mediæ adhærescens gulæ, parum aberit quin mox omnem spiritum mihi sit interclusura. Eò processerat jam amor noster ut pedem induerim unde referre non possem. Laute me & opipare tractabat Gratiæ mater, omnium deliciarum peritissima, non vestes, non pecunia, non quidquid optabam deerat. à domesticis, cognatis tamquam herus observabar, colebar. Quibus vero res rationesque meæ optime perspectæ erant, reprehendebant me, objurgabant, monebant, obsecrabant, ne spem messis meæ in ipsa herba extinguerem ac velut interficerem. Sed mortuo nœniam cantabant; me occinente: *Facile omnes quum valemus consilia ægrotis damus: Tu si hic esses, aliter diceres, voluptati mihi erat perire. peribam, non sentiens me perire.* Alter Sisyphus saxum multo sudore ad fastigium fere provolveram. sed en quanto cum impetu, quam celeriter idem ad ima præceps fertur! Sed quum considero, minus id mirum mihi videtur. Adolescens, sportularius fui: vir, caupo

fio.

Miserorum illorum cebræ.

fio.
ret!
Qu
Injur
nihil
me c
—
De A
Ca
m
V
in A
ut De
quid i
pertus
amor
si pe
furor,
deri fore
quæris
Heil. qu
Si be
Amo
ejus, c
mus;
tio; so
luptas;
cordi i

fo. Atque utinam nihil amplius restaret! Sed

Quæcumque trahit fortuna, sequamur.

Injuriam tibi facio (aut forte non, quia nihil es) Fortuna. non tu me, sed mea me cupiditas & voluntas traxit.

CAPUT XXIII.

De Amore pauca disserit Gufmannus.

Cum uxore Compluto Madritum migrat.

VIden' tu me priusquam in Theologiæ studio Baccalaureus fierem, jam in Amoris schola Magistrum factum! ut Doctorem quoque agnoscas, paucis quid in schola illa didicerim, quid expertus sim explicabo. Rogas me quid amor sit? Cum Epicteto respondeo: *Ocio- Amor si pectoris molestia: in puero pudor, in femina quid. furor, in juvene ardor, in sene ludibrium, in derisore delicti nequitia.* Etymologiam quæris. audi illum?

Hei! qui dixit, Amor, melius dixisset, Amarus.

Si bene novisset quam sit amarus Amor.

Amor, stultorum est carcer; mater ejus, ocium; nutrix, voluntas; cibus, fumus; potus, lacrymæ; quies, discursatio; somnus, somnia aut insomnia; voluptas, dolor. Per oculos venenum ipsi cordi infundit. hospes est qui facilius

Qualis.

non admittitur quam ejicitur. Puer est intellectu; senex, delirio. Filius est, nec parentibus parcens; pater, male filios tractans. Deus fingitur, sed immisericors. inimicus occultus, fictus amicus. Tiresia cæcior, debilis ad miseras & labores, fortis tamen ut mors. Legem non habet, non sequitur rationem ducem, impatiens, suspicax, ultionis cupidus, gratus denique & jucundus tyrannus. Alia ejus elogia non addo. Sed ô felicem, qui tanto potest tyranno resistere! quum tyrannum dico, cupiditatem intelligo, qua nullus homini capitalior est hostis, nullus superatu difficilior. Causa est, quod rationem recta monstrantem cupiditas carni jucunda suggerens sæpe sapius opprimit & vincit. Pueros imitamur, qui Magistri objurgationes & imperium non ferentes, è schola ad avorum aut cognatorum ædes profugiunt, ubi sciunt delicate se tractandos, & mellitis crustulis demulcendos. Rationem audire nolumus bona præcipientem; cupiditatem ultro sequimur, mala suadentem. Hæc scilicet primi illius peccati labe est & contagio, ad posteros omnes propagata: cui caro suo ancillatur obsequio. Ad amorem quod attinet, Delphico verius est oraculum:

*Ejus origo.**Remedium.*

*Ocia si tollas, periere Cupidinis arcus:
Sed satis philosophatum. Jam secundam*

dam
dicite
lata se
esse po
propo
esse d
propa
bam s
expler
me du
dieban
rabat:
cas ju
quoq
ne qu
nis. M
licet: &
expete
iplum
moru
que la
rabam
habent
ipse qu
mo qu
tem fo
culpa
mea n
tractab
comm
sibi cor

dam ego uxorem duxi : vos bona verba dicite, bene ominamini. Principia certe læta se dant. sed quomodo finis bonus esse possit, quem bonum initio mihi non proposueram ? Finis conjugii primarius esse debet Dei gloria & humani generis propagatio; ego vero nullum alium habebam scopum quam ut cupiditates meas explerem. Clausis oculis quacumque illæ me ducerent sequebar. nec Veritatem audiebam, quæ nonnumquam mihi insur-rabat: Tu quidem id agis, ut uxorem ducas juvenculam, lepidam, venustam. ad id quoque procurare debes ut talem serves: ne quæ tua fuit, aliis deinde fiat communis. Malo utebar Consultore, me ipso scilicet: & ardentissime meum ipsius malum expetebam. Fascinaverat mihi oculos & ipsum cor nativus ille tam formæ quam morum lepor, quem in Gratia mea plerique laudabant, ego vero tantum non adorabam. Vulgo dici solet, qui socrum non habent, maximi boni expertes esse. Novi ipse quosdam qui hoc negaturi sint, immo qui domesticam crucem & calamitatem socrum putent. Sed forte hæc ipsorum culpa est, forte non est. Me quidem socrus mea non aliter atque ex se natum filium tractabat, id unice agens ut bene mihi & commode esset. Uxor mea exiguæ dotis sibi conscia, cristas attollere non audebat.

& quia juvencula erat, facile eam ad voluntatem meam flexi & accommodavi. Cognati me ut superiorem reverebantur, meaque affinitate gloriabantur. Qui impares tam dote, quam genere ducunt uxores, eis obruduntur domini quibus serviant, iudices quos timeant, Principes quibus tributum solvant. Dispar mea erat conditio. Tributaria mihi erat focrus; uxor, subdita; affines, servi. nihil aliud mihi curæ erat quam edere, bibere, dormire. Sibaritarum vivebam more. Quanto pejor est voluntas nostra Circe illâ venefica! Hæc quidem homines in bestias transformasse dicitur, salvo tamen intellectu. at voluntas nobis humanam formam non adimit; adimit rationem: sine qua deteriores sumus bestiis. Sed ehei! Dum sic felicitati meæ (ita videbatur) indormio: ecce Fortunam, effractis foribus magno impetu in me irruentem. O Fors fortuna, ut numquam perpetuò es bona! Gaudentem, mæror à tergo sequitur; ridentem, fletus. Me quidem, immo non me tantum, sed totam meam domum, focrum, uxore, ut subito destituisi! ut omnia nobis commoda misere intervertisti!

Fuerat uxoris meæ pater, ut ab aliis accepi, ceteroqui vir bonus, sed caupo. eoque lætiori vitæ & lautiori victui adfuetus. An ceteras virtutes quæ cauponem de-

Dos facta sua.

Rerum vicissitudo.

Cauponis mores.

dece
bitor
bat q
culpa
fuisse
redit
hor
ment
surrep
ficara
male
ipfat
tis n
serv
riq
deser
tim v
cator
ram
ille v
ret, r
tium
diffit
gis lac
culo
ctum
aliqu
nulli
bus a
tor, q
Paup

decent habuerit, nescio: hoc scio plus debitorum quā creditorum reliquisse. Ajebat quidem socrus mea, amici cujusdam culpa tam gravi ære alieno obstrictum fuisse, à quo nescio quarum decimarum reditu fuerit defraudatus. Alii dicebant, hordeum & avenam quæ hospitum jumentis debuerat præbere, à stabulariis surreptum precium domui quam ædificarat, impendisse. nec mirum, male parta male dilapsa. Innocentiam vero boni viri ipsa tuebatur paupertas. Fundus calamitatis nostræ venter fuit, cui ille plus æquo serviebat. Sed an ille tantum? Immò plerique. Hispali olim novi quemdam, qui describendis quibuscumq; rebus, præsertim vero contractibus & rationibus mercatorum victum sibi quærebat. Ejus operam quum aliquando domi conduxissem, ille vèro à prandio tardè admodum rediret, rogo moræ causam. Ajebat, hospitium in quo prandisset longiuscule esse dissitum. Ego hominem pannosum, caligis laceris & deformi admodum centunculo male involutum potius quam amictum videns, rogo cur non in proximo aliquo diversorio cibum sumsisset. Ait, nullū esse in quo sibi præberentur ea quibus assuetus esset. Hinc curiosius percontor, quibus cibis assuetus esset. Respondet, Pauperē se esse hominem, edere id quod
labo-

labore suo lucretur, & in diem vivere: quanto plus lucretur, tanto majores in vitũ sumptus facere. Eo in hospitio quod familiare sibi habeat, præberi sibi libram unam carnis vervecinæ elixæ, deinde alteram vitulinæ affatæ, apposito embamate è ruta & saccharo confecto. Hoc cibi genus hiberno tempore sibi usitatum: æstate vero gallinam, gallum castratum, par columbarum aut tale aliquid eorum animalium quæ parva habent ossicula, sibi sufficere. Sed ad catastrophem venio. Mortuo focero meo, (quod fuit nõ multo ante nuptias meas) ubi jam dies solutioni debitorũ deputatus transisset, catervatim in ædes nostras irruunt creditores: arripit quisque quod proximum inveniebat: referantur cistæ, vestes, lecti, spondæ, mensæ, scamna, adeoque supellex omnis asportatur. non parum sane metuebam, ne me quoq; & uxorem unà asportarent.

Sic ex ædibus extrusi, in vicini domum nos recepimus, tamquam ii qui è naufragio in litus evadunt. Apprehendunt creditores domus possessionem; elocant. opponit se socrus mea: jusque suum ita demonstrat ut prætoris ope statim fuerit restituta. Sed ad quid ædes in quibus tibi fame percundũ sit? Quum res omnis perisset, spes mihi aliqua supererat è litterarum subsidiis. Medicinæ ergo animum appli-

appli-
ut ve-
quid
cru ca-
tabar-
tes,
quã
facile
ne m-
gebar-
qui i-
mea
vide
qua
hon-
tur:
furd-
deba-
bibu-
Qu-
in se-
tiffi-
ipsi h-
mun-
Me c-
hem-
nibi
Qu-
nelf-
vidi-
indig-

applico, una littera plus quam Medicus. ut vero sumptus quotidiani suppeterent, quidvis perferre patique decreveram. Socru cauponariam rursus exercente, ventitabant ad nos multi comatuli adolescentes, Venerei nepotuli, non tam boni vini quā Veneris meæ causa. Sentiebam ego facile insidias, sed dissimulabam. immò ne molestus effem arbiter, varia mihi fingebam negocia. Miserum me & infelicē, qui infamia victum redimerē. Jam uxor mea tam mite & mansuetum animal me videns, & adunco naso suspendens, palam quasi cornua fronti meæ imponebat. Jam honor & existimatio mea pessum dabantur: jam vulgo eram fabula. sed audiens, furdus; videns, cæcus eram. sic venter suadebat. Noveram ego quæ in magnis urbibus, ac præsertim in Aulis solent fieri. Quam multi sunt quorum omnes reditus in forma mulieris consistunt! Sed ô abjectissimum hominū genus! Itane vestrum ipsi honorem prostituitis, quod charissimum vobis esse debebat prostituendo? Me quidem nonnumquam zelotypia vehementer cruciabat, præsertim si quando nihil tali cogitanti scrupulus injiceretur. Quum aliquando in cubiculum ingressus nescio quē cum uxore caput collimantē vidissem, & iram dissimulare non possem, indignabundus erupi, & cum magno strepitu

*Suarum
uorum
lenones.*


*O for-
ezm!*

pitu ostium post me attraxi, ut facile illi iratum me potuerint animadvertere: sic pulcre me & generose ultus. Sed jam vasa colligo, & Madritū proficiscor: non ulla spe magni alicujus honoris adipiscendi, sed lucri faciendi causa. Etsi enim non eram negociator, apportabam tamē ejusmodi mercimonium, ex quo præsens lucrum paratum mihi non dubitabam. Res nostras mediocri capsulæ inclusas carro impono: eique cum uxore insidens, Madritum pervenio, sic rationes in via mecum putans: In regia illa urbe domum conducam commodo loco sitam, sex aut septem hospitem capacem, à quibus tantum mihi lucri redibit quantum ad sumtus quotidianos sufficit. Iis artibus ego instructus sum ut cuivis negotio par sim: foris sollicitus, domi patiens. Ubi re aucta, votorum meorum summam consequutus fuero, majoribus me applicabo occupationibus: quinetiam ita dexteritatis meæ lumē ostendam, ut forte ipse Rex ministerium meum sit expetiturus. Erat vero uxor mea eleganter satis vestita: omnis ejus reliquus mundus cithara erat: non inutile rebus nostris instrumentum.

Sed exspectas forte ut narrem quæ mihi Madriti evenerint? Narrabo tum quum mortem meam ipse narrabo. *Nunc Valete & Plaudite. Calliopius recensui.*

F I N I S.

ef






641830 Bibliotheca 2800 ✓
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej



03230

K.1.21



Vitae Humanae
Progenium
sub persona
Sismanni Alarici
Auth. Gaspari E.

2480